
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
37 H
19

انجيل الطفولية


EUANGELIUM INFANTIÆ.

VEL

LIBER APOCRYPHUS DE INFANTIA SERVATORIS.

Ex Manuscripto edidit, ac Latina versione & notis illustravit

HENRICUS SIKE.







TRAJECTI ad RHENUM,

Apud { FRANCISCUM HALMAM, GUILJELMUM vande WATER, } Bibl.

M. D. C. XCVII.



MAGNIFICIS
NOBILISSIMIS
AMPLISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS VIRIS
REIPUB. BREMENSIS
CONSULIBUS.

DN. MELCHIORI SCHWE-
LINGIO.

DN. FRIDERICO CASI-
MIRO TILEMANNO
cond. SCHENK.

DN. HENRICO ab ASCHEN.

DN. HERMANNO DWEER-
HAGEN CUM MAXIME
PRÆSIDI.

PATRIBUS PATRIÆ VENERANDIS.

DOMINIS PATRONIS FAUTORIBUS SUIS.

S. D.

HENRICUS SIKE.



On dubito fore pleroſque, qui hoc genus ſcriptionis, quo libellum apocryphum, & vel ab impiis hæreticis, vel ſaltem a nefariis & ſuperſtitioſis hominibus, revera Eccleſiæ Chriſti carcinomatibus, profectum in lucem protrahimus, non leve tantum & contemnendum, ſed damnandum

quo-

quoque & sufflaminandum, neque satis dignum tantorum virorum personis judicent. Sed hi erunt fere, qui vel antiquitatis Ecclesiasticæ ignari, verum & genuinum harum scriptionum scopum perspicere non poterunt; vel aliquo affectuum œstro perciti, nisi quod ipsi fecerint, nihil rectum putabunt. Qui si paulo altius rem mecum repetere, rationesque ac magnorum virorum exempla putare voluerint, si adduci non poterunt, ut instituto nostro faveant, saltem æquum illud esse, atque ab omni reprehensionis labe alienissimum, fateri cogentur. Equidem extra controversiæ aleam positum est, inter varia rationum momenta, quibus Christiani hominis ani-

mus ad agnoſcendam S. Scripturæ divinitatem & αὐθεντίαν impellitur & pertrahitur, palmam facile obtinere inſitas illas notas & impreſſa ipſi quaſi digito Dei criteria, quæ ceu indelebiles divini ſermonis caracteres ſua luce & radiant, & omnem mentium noſtrarum caliginem diſpellunt. Sicuti enim vegetus ille & aurei oris ſol, quaqua verſum incedit, lucem ſecum circumfert & vigorem in omnia diſpertit; ſic Prophetici & Apoſtolici ſermonis lucerna, cooperante interno Sp.S. teſtimonio, tanquam lucidiſſimus Phoſphorus divinæ ſapientiæ radios quaquaverſum diffundit. Tantam nimirum tamque inſignem ſtyli majeſtatem, tam abſolutam præceptorum

rum & dogmatum ſanctitatem, tantam in narrando veritatem, exoticorum monumentorum fide & conſenſu comprobatam, tantam prædictionum cum ſuis eventibus, tantam totius corporis harmoniam & concentum ſuaviſſimum mens humana contemplans & perſpiciens, non poteſt non in ſummam rapi admirationem, & divinorum eloquiorum Deum ipſum auctorem agnoſcere. Verum, ubi ab iſta ſcripturæ divinitatem probandi ratione diſceſſeris, nihil prius, nihil antiquius ſeſe offert, quodve magis agnitæ veritatis perſuaſionem in mente humana confirmare poſſit, quam collatio eorum ſcriptorum, quæ vel priſcis temporibus, vel noſtra etiam-

etiamnum hac ætate pro divinis ac θεσπεσίοις fuerunt venditata. Talia sunt Kabbalisticæ Judæorum nugæ, Talmudica portenta, insipidæ Alcorani næniæ, & inficetæ plerisque Mohammedanorum susceptæ traditiones, quam Sunnam ipsi vocant: quæ maximam orbis habitabilis partem fascinarunt, & tanquam οὐρανοπετῆ *e cœlo delapsa* ab infinita hominum multitudine summa cum veneratione adorantur. His adde exsecrabiles priscorum hæreticorum blasphemias, quas in ipso statim Christianæ religionis ortu & subsequentibus ordine seculis toties eructatas, nostra sæpe ætate recoctas meminimus. Hæc atque id genus alia semper annisi sunt viri docti & cordati fi-
deliter

deliter posteritati exponere, ut perpetua ecclesiæ certamina contra externos & intestinos hostes ex iis patescerent; porro examinare, confutare, censoria virgula notare: nunquam vero *Tardipedi Deo dare*

Infelicibus ustulanda lignis.

ita enim occultata tamen atque edita mansissent, quod de *Cremutii Cordi* annalibus *Tacitus* ait. Hinc igitur ipse Spiritus Sanctus noluit nos latere, quæ Nicolaïtarum, quæ Phileti & Hymenæi hæresiarcharum insana & absurda fuerint dogmata. Hinc est, quod *Irenæus*, *Tertullianus*, *Epiphanius*, *Philastrius*, *Augustinus*, *Theodoretus*, infiniti alii, omnium, quotquot tunc exstiterant, hæresium nefanda quæque dogmata & opera & sui ævi homini-

nibus propalarunt, & ſcriptis ad ſeram poſteritatem transmiſerunt. Eandem ob rationem *D. Petrus Abbas Cluniacenſis* ſuis auſpiciis, ſuis ſumptibus Alcoranum, ex genio illius ſeculi in linguam Latinam converſum, in Eccleſia Chriſtiana publicavit. Cumque majorum noſtrorum ætate infelices quidam turbones præſervido & intempeſtivo zelo cuncta Judæorum ſcripta flammis abolita vellent, fortiter ſane & animoſe vir optimus & doctiſſimus *Johannes Reuchlinus* ſeſe illis oppoſuit, & publica, ne id fieret, auctoritas interceſſit. Quid memorem ſanctos conciliorum canones, quibus librorum hæreticorum lectio eccleſiaſtica auctoritate Epiſcopis permittitur?

Ne-

Neque enim, ut verum fatear, vulgo imperito aut lucubrantibus aniculis hæc atque ejuſdem generis alia ſcribuntur; ſed iis legenda offeruntur & commendantur, quorum eſt Antiquitates Eccleſiæ ruſpari, divina myſteria ab omnium ſannis & obtrectationibus vindicare & ſarta tecta conſervare, & adverſariorum laqueos & captiones poſſe eludere. Præterea ſi degenerem ab ipſis ſtatim incunabulis ſuis Chriſtianiſmum in hiſce aliiſque id genus hæreticorum libellis ſpectamus, minus mirum nobis videbitur, Mohammedem Pſeudoprophetam nefariam ſuam, orcique ex faucibus excitam doctrinam tanto cum ſucceſſu potuiſſe ſpargere, eademque orbem ter-

rarum veluti peſtilenti quodam ſidere afflare. Qua in re juſtam Dei ultionem, & ſeveriſſimam ſocordiæ & ingratitudinis Chriſtianorum punitionem ſubmiſſa mente agnoſcimus: abſque quibus ſi fuiſſet, nunquam neque ex tantula ſcintilla tantum incendium oriri, neque abſurdiſſimis illis principiis tanta novæ ac peſtiferæ ſectæ moles ſuperexſtrui potuiſſet. Cui enim veriſimile fieret, hominem illiteratum & ineptum, furioſa verborum volubilitate, nulla ſubjecta ſententia, tot hominum mentes potuiſſe allicere & dementare, iiſque abſurdiſſimas nugas & febriles nænias inſinuare: eundemque generis quidem nobilitate conſpicuum, pauperem tamen

men & a gentilibus ſuis deſertum, tantum auctoritate & armis valuiſſe, ut non tantum religionis novæ Antiſtes, ſed novi etiam imperii fundator & Princeps exſiſteret, niſi ſingularem hic Dei ter O. M. providentiam, Mohammede tanquam flagello ad puniendum Chriſtianos utentem, agnoſceret? Præterea alium vel maxime inſignem uſum talia ſcripta nobis præſtant; nempe ut os obturemus Pontificiis, qui perfricta fronte impudentiſſime * mentiri & calumniari audent, ſectam, quam Calvinianam illi vocant, ſentinam eſſe, in quam veterum & recentium ſectarum er-

* Vide Dionyſii Petavii præfationem operibus Epiphanii præfixam.

rorumque colluvies confluxerit, ac quidquid hæreſeon hactenus exſtitit, de quo legi aliquid, vel audiri potuit, ex eo libatum aliquid eſſe & in eandem derivatum. Quaſi non contra probatu eſſet facillimum, imo a noſtris abunde demonſtratum, plurimas antiquarum hæreſeon (omnes diceremus, ſi ipſorum impudentiam imitari luberet) particulam ſui veneni eccleſiæ Pontificiæ afflaſſe, & aliquid ſaltem ſuarum ſordium eidem affricuiſſe, quod in hodiernum uſque diem perpetuo illi adhæreſcit. Non jam referam, quot Apocryphorum librorum myriades obſtetricantibus monachis excluſæ ſint & Patribus ſuppoſitæ; illud tantum innuiſſe ſufficiet, pluri-

ri-

rimos tales hominum καθαρῶν & vere hæreticorum fœtus genuinos plerisque Pontificiorum videri, & innumera ex iis, tanquam certissimis testimoniis comprobata, vulgo credenda obtrudi. quod vel solum illud pseudo-euangelium Xaverianum a *Ludovico de Dieu* editum cumulatissime ostendit. Multa quoque ex hoc Euangelio infantiæ præ iis, quæ divinæ tradunt scripturæ, mirum in modum illis hominibus arrident; *de Christo in spelunca nato, asservato ejusdem præputio, fonte & balsami horto in Matarea productis.* quæ licet plurimis quoque Patrum memorentur, ex iisdem tamen turbidis fontibus hausta esse constat. Sed de his quidem plura hoc loco dicere nihil attinet,

net, ne in publica commoda peccare videar, ſi longis ſermonum ambagibus veſtra, Viri MAGN. & AMP. tempora, gravioribus & magis arduis curis deſtinata, moratus fuero. Veſtris enim illuſtriſſimis nominibus exiguam hanc lucubratiunculam inſcribere auſus ſum, ut & civis boni officio fungerer, & meæ in vos obſervantiæ & gratæ voluntatis publicum aliquod exſtaret monumentum. Parvum fateor & exile eſt munuſculum, quod vobis offero: ſed nondum ego eam facultatem aſſecutus ſum, ut a me quidquam magnum aut egregium exſpectari debeat; & vos, ſcio, quę veſtra eſt humanitas & benignitas, animum potius meum, quam rem

ipſam

ipſam ſpectabitis. Ego interim Deum O. M. ſupplex veneror, ut Rempublicam noſtram Bremenſem, quam vos hactenus feliciſſimam & florentiſſimam præſtatis, incolumem conſervet, vosque in tanta temporum diritate & atrocitate quam diutiſſime eandem temperare & adminiſtrare velit. Trajecti ad Rhenum. a. d. V. Eid. Maij. CIↃ IↃC XCVII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

PRius quam te ad legendum accingas, Lector benevole, paucis te volo; ut quidnam hoc libelli ſit, & unde ſubito compareat, ne ignores. Quamvis dira Deus in verbo ſuo interminatus fuerat illis, qui Canoni ſacro adjecturi quidquam eſſent aut detracturi; nihilominus primis jam Chriſtianiſmi ſeculis, adeoque in ipſis Eccleſiæ incunabulis, tanta pſeudepigraphorum & hypobolimæorum librorum ſeges provenit, ut canonicos & genuinos numero longe ſuperarent. Bene aliquando dixit Scaliger : Putaverunt veteres ſe poſſe regnum Dei provehere mendaciis & falſis miraculis, in quo graviter errarunt. *quippe illis artibus & viis Eccleſiam Chriſti lacerarunt & deſtruxerunt. Spurios illos fœtus magnam partem recenſet, ac tanquam Apocryphos damnat & rejicit Gelaſius Papa, in Concilio Romæ ſub finem ſe-*

ſeculi V habito: ubi iſtius quoque, quod jam tibi exhibemus, Pſeudoeuangelii, licet poſtea tractu temporis nonnihil fortaſſe interpolati, facit mentionem. Ipſa decreti verba accipe: Euangelium nomine Matthiæ apocryphum. Euangelium nomine Petri Apoſtoli apocryphum. Euangelium nomine Jacobi apocryphum. Euangelium nomine Barnabæ apocryphum. Euangelium nomine Thomæ, quo utuntur Manichæi, apocryphum. Euangelium nomine Bartholomæi Apoſtoli apocryphum. Euangelia, quæ falſavit Lucianus, apocrypha. *LIBER DE INFANTIA SALVATORIS APOCRYPHUS.* Euangelia, quæ falſavit Efitius, apocrypha. Liber de nativitate Salvatoris, & de Maria & obſtetrice apocryphus. *Sed & aliis ante Gelaſium memoratur.* Irenæus (*cujus locum vide infra in notis pag.* 64. *&* 65.) *unam ex fabellis, quæ in eo reperiuntur, refert: quam tomo I. Panarii lib.* III. *in hæreſi Marcoſiorum repetit Epiphanius.* Chry-

 ſo-

ſoſtomus (*& ex eo* Theophylactus) *aliquot locis in infantilia iſta miracula graviter invehitur :* Epiphanio *vero , ubi de illis loquitur ,* ἐν δοιῇ μάλα θυμός. (*vide in not. pag. 39. & ſeqq.*) Mohammedem *ejuſque aſſeclas apocryphum hoc Euangelium varie compilaſſe , e notis noſtris abunde patebit : nequaquam tamen inde conjicias , textum hunc Arabicum , qualis hic tibi exhibetur , ante Mohammedis tempora jam exſtitiſſe. neque enim ſtylus (ei , quo novum teſtamentum Arabice verſum & ab Erpenio editum habemus , haud multum diſſimilis) eam præ ſe ferre antiquitatem videtur. Fieri poteſt , ut ſive ex Græca , ſive ex Syriaca lingua , aut alia quacunque Orientalium , aliquot poſt ſeculis , in Arabicum idioma liber ſit translatus. Cæterum is , quo uſi ſumus , Codex eſt ex libris Clariſſimi Golii , publica nuper auctione Lugduni Batavorum divenditis : quo cum ad alia quædam comparanda me contuliſſem , hunc quoque librum negligere non potui , cum duo ejus loca , quæ in præfatione Alcorani allegaverat Hinkelmannus* ὁ μακαρίτης,

le-

legissem. Et licet tunc Alcorano vertendo (quem propediem, si Deo placuerit, cum scholiis utriusque Gialaloddîni, *laudatissimorum interpretum, nostroque commentario in lucem edemus) acriter insudarem; inspecta tamen exigua libri hujus mole, commodius judicavi, ejus versionem, tanquam animi quandam relaxationem, tædioso & prolixo labori interponere, & hunc quasi futuri operis prodromum præmittere: quod eo lubentius feci, quia, præter Apocrypha alia innumera, & Judæorum Pandectas, ex hoc quoque libello aliquid veneni Mohammed delibavit. Quo anno exaratus sit codex noster, nequeo dicere, cum id librarius non adscripserit: suum vero Anno Christi* 1442. *in Oriente descriptum fuisse Hinkelmannus testatur. idem Euangelium istud confundit cum circumlato olim Evangelio Petri; sed hoc in Decreto Gelasii ab eodem distinguitur. Nihil vero notarum adjicere initio constituerum, quippe cum narrationes nugacissimæ nullo commentatore egere viderentur; sed postea animadvertens* ابو محمد عبد الله.

الله الكساجى Abu-Mohammedem Abd-Allam, Keſſæi *nomine eruditis jam notum, auctorem hactenus non editum, (qui religione Mohammedanus vitas Patriarcharum & Prophetarum ex ſententia magiſtrorum ſuorum deſcripſit) partem earum fabularum, mutatis tamen circumſtantiis, excerpſiſſe ac pro veris venditaſſe, non potui non illas quoque ſeorſim exhibere, ut cum Pſeudo-euangeliſtæ noſtri verbis conferrentur, ſicque* Κρῆς Κρῆτα *mendax mendacem mutuo diſſidio convinceret & refutaret. Vale.*

انجيل الطفولية

EUANGELIUM

INFANTIÆ.

بسم الاب والابن والروح القدس
الاله الواحد ۞

نبتدي بعون الله وحسن توفيقه
ونكتب كتاب عجايب سيدنا
وربنا ومخلصنا يسوع المسيح
المدعو انجيل الطفولية بسلام
من الرب امين ۞

قد وجدنا في كتاب يوسيفوس
ريس الكهنة الذي كان على
عهد المسيح وقد قال اناس انه قايافا
قال

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, DEI UNIUS.

Auxiliante & favente ſummo numine incipimus ſcribere librum miraculorum Heri & Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui vocatur Euangelium infantiæ, in pace Domini; Amen!



Nvenimus in libro Joſephi Pontificis, qui vixit tempore Chriſti, (dicuntque nonnulli eum eſſe Cajapham. dixit is:) Jeſum locu-

قال هذا ان يسوع تكلم وهو
حين كان في المهد وقال لمريم
امه اني انا هو يسوع ابن الله
الكلام الذي ولدتيني كما بشرك
جبراييل الملاك وابي ارسلني لخلاص
العالم ۞ وفي سنة ثلثماية وتسعة
من سنين الاسكندر امر اغسطوس
ان يكتتب كل انسان في
بلده فقام واخذ مريم خطيبته
ومضي الي بيت المقدس وجا الي
بيت لحم ليكتتب مع اهل بيته
في قريته ولما بلغوا المغارة قالت
مريم ليوسف انه قد حان وقت
الولادة وليس يمكنني المسير الي
القرية

tum esse, & quidem cum in cunis jaceret, dixisseque matri suæ Mariæ: Ego sum Jesus, filius Dei, verbum illud, quod peperisti, quemadmodum annunciavit tibi angelus Gabriel; misitque me pater meus ad salutem mundi. Anno autem trecentesimo nono æræ Alexandri edixit Augustus, ut describeretur unusquisque in patria sua. Surrexit itaque Josephus, & assumta Maria sponsa sua Hierosolymam abiit, venitque Betlehemum, ut cum familia sua in urbe patria describeretur. Cumque ad speluncam pervenissent, fassa est Maria Josepho, instare sibi tempus pariendi, neque se posse in urbem proficisci; sed, Hanc, inquit, spelun-

القريه ولكن ندخل الي هذه المغارة
وهذا كان وقت غروب الشمس فاما
يوسف فانه مضي عاجلا ليحضر لها
امراة تكون عندها فبينما هو في
ذلك اذ لمح عجوزا عبرانية من
اورشليم فقال لها يا مباركة هلمي
فادخلي هذه المغارة فان فيها امراة
تريد ان تلد فجات العجوز ويوسف
معها الي المغارة وكانت الشمس
قد غربت فدخلاها فاذا هي مملوة
انوار احسن من السرج والقناديل
واعظم من نور الشمس والطفل
ملفوف يرضع من مرت مريم امه
وهو موضوع في المعلف فبينما هما
يتعجبان

cam intremus. ſol autem præceps in occaſum ferebatur. At Joſephus propere abiens, ut mulierem, quæ (*in partu*) ipſi adeſſet, accerſeret, anum Hebræam conſpicit, Hieroſolymis oriundam. &, Heus benedicta, inquit, huc ades, & ſpeluncam iſtam ingredere, in qua mulierem partui vicinam invenies. Poſt ſolis itaque occaſum anus, & cum illa Joſephus, ad ſpeluncam pervenit, eamque ambo intraverunt. Et ecce! repleta erat illa luminibus, lucernarum & candelarum fulgorem excedentibus, & ſolari luce majoribus; infans faſciis involutus Divæ Mariæ matris ſuæ ubera ſugebat, in præſepi repoſitus. Hanc lucem cum ambo mirarentur,

يتعجبان من ذلك النور قالت تلك
العجوز لمرت مريم انتي ام هذا
المولود قالت مرت مريم نعم قالت
العجوز ما تشبهي لبنات حوا قالت
مرت مريم كما ان ابني ما له مثيل
في الاولاد كذلك والدته ما لها
مثيل في النسا فاجابت العجوز
قايلة يا سيدتي اذا جيت لاكسب
ثوابا بقيت زمنة قالت لها سيدتنا
مرت مريم اضعي ايديك علي الطفل
فوضعتهما وفي الحال بريت فخرجت
قايلة من الان انا امة وجارية لهذا
الطفل في كل ايام حياتي حينيذ
جات الرعاه فاوقدوا نارا وفرحوا
فرحا

tur, rogat vetula Divam Mariam: Tune hujus prolis es mater? &, annuente Diva Maria, Nequaquam, ait, ſimilis es filiabus Evæ. Dicebat Diva Maria: Sicuti filio meo nemo inter pueros ſimilis exſiſtit; ita ipſius genitrix nullam inter mulieres parem habet. Reſpondente vero anu & dicente: Hera mea, veni ego, ut præmium perpetuo duraturum acquirerem. inquit illi Domina noſtra Diva Maria: Impone manus tuas infanti. quod cum feciſſet anus, ex tempore munda evaſit. Egreſſa itaque dicebat: Ab hoc tempore famula & miniſtra ero hujus infantis, omnibus diebus vitæ meæ. Deinde cum adveniſſent paſtores, &, ſuccenſo igne, admodum

 læta-

فرحا عظيما وقرات لهم اجناد
سمايية يهللوا ويسبحوا الله تعالي
ذكره والرعاة ايضا والمغارة اشبهت
في ذلك الوقت لبيعة العلوية لان
الافواه السماوية والارضية كانت
تمجد وتعظم لميلاد الصبي المسيح
فاما العجوز العبرانية لما رات
العجايب الواضحة شكرت الله وقالت
اشكرك يا الله اله اسرايل علي
ما نظرت عيناي من ميلاد مخلص
العالم ۞ولما كانت ايام الختانة وهو
اليوم الثامن اوجبت السنة ختانة
الصبي فختنوه في المغارة واخذت
العجوز العبرانية تلك الجلدة
واخرون

lætarentur, apparuerunt illis exercitus cœleſtes, laudantes & celebrantes Deum ſupremum; idemque facientibus paſtoribus ſpelunca iſta tunc temporis auguſto templo ſimillima videbatur, quoniam ora cœleſtia pariter & terreſtria celebrabant & magnificabant *Deum* ob nativitatem Domini Chriſti. Videns vero anus illa Hebræa manifeſta iſta miracula, gratias Deo agebat, dicens: Gratias tibi ago, o Deus, Deus Iſraëlis, propterea quod viderunt oculi mei nativitatem Servatoris mundi. Cumque adeſſet tempus circumciſionis, dies ſcilicet octavus, quo circumcidendum eſſe puellum lex præcipit, circumciderunt illum in ſpelunca; ſum-

واخرون قالوا ان السرة اخذت العجوز
ووضعته في قارورة دهن الناردين
العاتق وقد كان لها ولد عطار
وقدمتها له وقالت له اياك ان تبيع هذه
القارورة الطيب الناردين ولو دفع
لك بها ثلثماية دينار وهذه القارورة
هي التي ابتاعتها مريم الخاطية
وسكبتها علي راس سيدنا يسوع
المسيح وعلي قدميه ومسحتها بشعر
راسها وبعد عشرة ايام اصعدوه الي
اورشليم ۞ وبعد اربعين يوما للولادة
ادخلوه الي الهيكل الي بين يدي
الرب وقربوا عنه القرابين اللذي
كتب في ناموس موسي وهو ان
كل

ſitque anus illa Hebræa pelliculam iſtam, (dicunt vero alii ipſam ſumſiſſe præſegmen umbilici) eamque in alabaſtro olei nardini vetuſti recondidit. Erat autem illi filius ſeplaſiarius, cui tradens illud, Cave, inquit, vendas alabaſtrum hoc ungenti nardini, quamvis trecenti denarii pro illo tibi offerrentur. Atque hoc eſt alabaſtrum illud, quod Maria peccatrix ſibi comparavit, & in caput & pedes Domini noſtri Jeſu Chriſti effudit, eoſque capillitio capitis ſui exterſit. Tum decem dierum ſpatio interjecto Hieroſolymas eum detulerunt, & quadrageſimo a nativitate die in templo coram facie Domini ſtiterunt, offerentes pro ipſo munera; quod

كل ذكر يفتح الرحم قدوس الله
يدعي ۞ فراه سمعان الشيخ وهو يضي
كعامود النور وقد حملته مرت مريم
البتول امه علي ذراعيها وهي به
مسرورة وقد التحفته الملايكه مثل
الدايرة وهم يسجدون شبه الاجناد
قدام الملك فاسرع سمعان بالسير
الي مرت مريم وبسط يديه امامها
وقال للسيد المسيح الان اطلق عبدك
بسلام يا سيدي حسب قولك فقد
رات عيناي رافتك اللتي اعددتها
لسبب خلاص جميع الامم نورا لجميع
الشعوب ومجدا لشعبك اسرايل وهذه
النبيه ايضا شاهدت ذلك واقبلت
تشكر

in lege Mosis præscriptum est; scilicet: Omnis mas adaperiens vulvam sanctus Dei vocabitur. Viditque illum Simeon senex, instar columnæ lucis refulgentem, cum Diva Maria virgo, mater ejus, ulnis suis eum gestaret, magnamque ex ipso lætitiam perciperet; & circumdabant eum Angeli instar circuli, celebrantes *illum*, tanquam satellites regi adstantes. Simeon itaque propere ad Divam Mariam accedens, & manus suas versus illam extendens, dicebat Domino Christo: Nunc, o Domine mi, servus tuus in pace dimittitur, juxta verbum tuum; nam viderunt oculi mei misericordiam tuam, quam parasti ad salutem omnium gentium; lucem omni-

تشكر الله وتعطي الطوبي لمرت
مريم۞ وكان لما اتلد الرب يسوع
في بيت لحم يهودا علي عهد
ايرودس الملك اذ مجوس وافوا
من المشرق الي يروشليم كما
تنبا زرادشت وكان معهم القرابين
الذهب واللبان والمر فسجدوا
له وقربوا له قرابينهم حينيذ
اخذت مرت مريم احد اولايك
القمط ودفعته لهم بحسب البركة
فقبلوه منها احسن قبول وفي تلك
الساعة ظهر لهم ملاك شبه الكوكب
الذي كان دليلهم اولا فمضوا
مهتدين بنوره حتي وصلوا بلادهم
فاجتمعوا

omnibus populis, & gloriam populo tuo Israëli. Aderat quoque tunc Hanna prophetissa, & accedens Deo gratias agebat, Dominamque Mariam felicem prædicabat.

Et factum est, cum natus esset Dominus Jesus Bethlehemi, urbe Judææ, tempore Herodis regis, ecce! Magi venerunt ex Oriente Hierosolymas, quemadmodum prædixerat Zoradascht; (*Zoroaster*) erantque cum ipsis munera, aurum, thus, & myrrha; & adoraverunt eum, suaque ipsi munera obtuleruut. Tunc Domina Maria sumsit unam ex illis tæniis, (*quibus involutus erat infans*) eamque loco benedictionis illis tradidit, quam ipsi tanquam munus præclarissi-

فاجتمعوا اليهم ملوكهم وسادتهم
وقالوا لهم ما الذي رايتم وفعلتم
وكيف مضيتم وعدتم وما الذي
استعجبتم فاظهروا لهم ذلك القماط
الذي دفعته لهم مرت مريم
فعملوا لذلك عيدا واضرموا نارا مثل
عادتهم وسجدوا لها والقوا ذلك
القماط فيها فاخذته النار ومزجته
فيها ولما خمدت النار اخرجوا
ذلك القماط وهو مثل ما كان اولاً
كان لم تمسسه النار فبدوا
يقبلوه ويضعوه علي روسهم وعلي
عينيهم وقالوا ان هذا هو الحق
غير شك ان هذا امر عظيم ان
لم

mum ab ea acceperunt. Eademque hora apparuit illis Angelus in forma ſtellæ illius, quæ antea dux itineris ipſis fuerat, cujus lucis ductum ſecuti abierunt, donec in patriam ſuam reverterentur. Aderant autem reges & principes illorum, rogantes, Ecquidnam vidiſſent aut egiſſent? quomodo iviſſent ac rediviſſent? quos tandem itineris comites habuiſſent? Hi vero protulerunt illis faſciam iſtam, quam Diva Maria ipſis tradiderat: quapropter celebrarunt feſtum, ignemque pro more ſuo ſuccenderunt, eumque adoraverunt, & faſciam iſtam in illum conjecerunt, corripuitque eam ignis & in ſeſe comprehendit. Exſtincto autem igne faſciam extraxerunt illæſam,

لم تقدر النار ان تحرقه او تفسده
واخذوه وادخروه عندهم بالكرامة
الجليلة ۞ فاما ايرودس اذا لما راي
ان المجوس قد تاخروا عنه ولم يرجعوا
اليه احضر الكهنة والحكما وقال
لهم عرفوني اين يولد المسيح قالوا
له في بيت لحم يهودا فبدا يفكر
في قتل الرب يسوع المسيح حينيذ
ظهر ملاك الرب ليوسف في الحلم
وقال له قم خذ الصبي وامه واذهب
الي ارض مصر فقام عند صياح
الديك ومضي فبينما هو مفكر
في نفسه كيف يكون مسيره
فجاه الصباح وقد قطع من الطريق
ذهيقه



ac si ignis eam non attigisset. Itaque cœperunt illam osculari, capitibusque suis & oculis imponere, dicentes: Hæc sane indubitata est veritas! utique magna res est, quod ignis comburere illam aut perdere nequiverit. Inde sumserunt eam, & magna cum veneratione in thesauris suis reposuerunt. Herodes autem videns Magos cunctari, nec ad sese reverti, accersivit sacerdotes & sapientes, & dixit illis: Docete me, ubi nasciturus sit Christus. cumque illi respondissent: Bethlehemi, urbe Judææ. cœpit animo volvere cædem Domini Jesu Christi. Tunc apparuit Angelus Domini Josepho in somnis, dixitque: Surge, accipe puerum & matrem ejus, & abi in Ægyptum.



ذفيفة فاصبح بالقرب من قرية
كبيرة وفيها صنم وساير اصنام
اهل مصر والهتها تحمل اليه
القرابين والنذور وكان بحضرة
هذا الصنم كاهن يخدمه وكان
كلما تكلم ذلك الشيطان من
ذلك الصنم كان هذا الكاهن يوصله
الي اهل مصر وذواحيها وكان لهذا
الكاهن ابن له من العمر ثلث
سنين وفيه عدة شياطين وكان
يتكلم ويورد اشيا كثيرة وان
كانوا يعتروه الشياطين كان
يخرق ثيابه ويبقي عريانا ويرجم
الناس بالحجارة وكان برسم ذلك
الصنم

Sub galli cantum itaque ſurrexit & profectus eſt; cumque reputaret ſecum, quale futurum eſſet iter ſuum, ſupervenit ipſi aurora, ruperatque defatigatio itineris ſellæ cingulum. Jamque appropinquabat urbi magnæ, in qua idolum erat, cui reliqua Ægypti idola & numina munera & vota offerebant; aderatque huic idolo ſacerdos miniſtrans ipſi, qui, quotieſcunque Satanas ex idolo iſto loqueretur, incolis Ægypti & plagarum ejus illa referebat. Erat huic ſacerdoti filius triennis, a magna dæmonum multitudine obſeſſus, qui plurima loquebatur & proferebat, &, cum corriperent illum dæmones, laceratis veſtibus ſuis nudus obambulabat, & homines

العظم ببمارستان في تلك القرية
فلما وصلت مرت مريم ويوسف الى
تلك القرية ونزلوا في ذلك
البيمارستان خافوا اهلها كثيرا
جدا واجتمعوا جميع الروسا وكهنة
الاصنام الى ذلك الصنم وقالوا له
ما هو هذا الاضطراب والارتجاج الذي
عرض في ارضنا فاجابهم ذلك الصنم
قايلا انه قد حضر هاهنا اله خفي
وهو هو الاله بالحقيقة وليس
اله يعبد غيره لانه ابن الله
بالحقيقة وباختباره تزعزعت هذه
الارض وبحلوله فيها ارتجت وتزلزلت
ومن عظم سطوته نحن خايفين
جدا

lapidibus petebat. In vicinia autem iſtius idoli erat noſocomium illius urbis; quam cum ingreſſi eſſent Joſephus & Diva Maria, & in noſocomium iſtud divertiſſent, valde conſternati ſunt cives ejus, conveneruntque omnes principes & ſacerdotes idolorum ad idolum illud, rogantes: Ecquænam eſt iſta conſternatio & trepidatio, quæ regionem noſtram invaſit? Reſpondit eis idolum: Appulit huc Deus ignotus, qui revera eſt Deus, neque quiſquam præter illum divino cultu dignus eſt, quoniam revera eſt filius Dei; ejus ad famam hæc regio contremuit, ejuſque adventu commota eſt & concuſſa, & nos a magnitudine imperii ejus valde timemus. Eademque hora

جدا وفي تلك الساعة سقط ذلك
الصنم فاجتمع لسقوطه جميع اهل
مصر وغيرهم فعرض لولي ذلك
الكاهن كالذي كان يعرض له
فدخل الي البيمارستان ويوسف ومرت
مريم هناك وقد هربوا الناس جميعهم
منهم وكانت السيدة مرت مريم
قد غسلت قماطات السيد المسيح
وفرشتهم علي الخيط فجا هذا
الصبي المجنون واخذ واحدا من
اولايك القماطات ووضعه علي راسه
وفي ذلك الوقت بدوا الشاطين
يخرجون من فمه شبه الغربان
ومثال الحيات وهم هاربين وفي
الحال

idolum hoc corruit, & ad ruinam ejus, præter cæteros, omnes Ægypti incolæ concurrerunt. Filius autem ſacerdotis, cum ſolitus illum morbus invaderet, noſocomium ingreſſus Joſephum ibi & Divam Mariam offendit, quos ceteri omnes fuga deſeruerant; & quoniam Diva Domina Maria laverat faſcias Domini Chriſti, eaſque in tigillo ſuſpenderat, puer iſte dæmoniacus unam harum faſciarum detraxit, eamque capiti ſuo impoſuit, ſtatimque dæmones ex ore ipſius egredi, & corvorum ac ſerpentum figura fugere cœperunt. Ex tempore igitur imperio Domini Chriſti ſanatus eſt puer, & Domino, qui ipſum ſanaverat, laudes canere & gratias agere cœpit. Quem

الحال بري ذلك الصبي بامر الصبي
المسيح وبدا يسبح فيشكر الرب
الذي ابراه فلما راه ابوه وهو قد
بري قال له ما الذي عرض لك يا
ولدي وكيف بريت فقال له ابي
لما اصرعني الشيطان مضيت الي
البيمارستان فوجدت هناك امراة
جليلة ومعها صبي وقد غسلت
اقمطه ووضعتهم علي الحيط فاخذت
واحدا منهم وجعلته علي راسي
فتركوني الشياطين وهربوا ففرح
ابوه به كثيرا جدا وقال له يا ولدي
عسي ان هذا الصبي يكون ابن الله
الحي الذي خلق السموات والارض لانه
لما

cum ſanitati priſtinæ reſtitutum pater cerneret, Mi fili, inquit, quid tibi accidit? & qua ratione ſanatus es? Reſpondit filius: Cum agitarent me dæmones, in noſocomium abii, ibique feminam decori vultus cum puero inveni, cujus illa faſcias recens lotas in tigillo ſuſpenderat; harum unam dereptam dum capiti meo impono, reliquerunt me dæmones & fugerunt. Gaudio exſultans pater, Mi fili, ait, fieri poteſt, ut hic puer ſit filius Dei vivi, qui cœlos & terram creavit; ſimulatque enim ad nos tranſiit, fractum eſt idolum, cecideruntque cuncta numina, & a vi majore deſtructa ſunt. Hic impleta eſt prophetia, quæ dicit: Ex Ægypto vocavi filium meum.

لما اجتاز بنا انكسر الصنم وسقط كل
الالهة وبادوا من قوة عظمته هاهنا
تمت النبوة القايلة ان من مصر
دعوت ابني فلما سمع يوسف ومريم
ذلك الصنم قد سقط وباد فزعا وخافا
وقالا انه لما كنا في ارض اسرايل
هم ايزوديس بقتل يسوع ومن
اجله قتل كل اطفال بيت لحم
وتخومها ولا شك الا انه متي ما
سمعوا المصريون ما جري علي هذا
الصنم من التكسير فهم يحرقونا
بالنار۞ وخرجا من هناك ووصلوا
الي موضع كان فيه لصوص
وقد نهبوا جماعة وعروهم وربطوهم
فسمعوا

Joſephum vero & Mariam, cum idolum illud corruiſſe & periiſſe audirent, terror & tremor invaſit, adeo ut dicerent: Cum eſſemus in terra Iſraëlis, Herodes Jeſum interficere voluit, & propterea omnes infantes Bethlehemi ejuſque viciniæ occidit; neque dubium eſt, quin Ægyptii, ſi idolum hoc fractum corruiſſe audiverint, nos igne ſint crematuri.

Hinc ergo digreſſi ad latibula latronum pervenerunt, qui prætereuntes viatores ſarcinis modo & veſtibus exſpoliaverant, eoſque vinctos ducebant. Audiebant vero latrones iſti ſtrepitum ingentem, qualis eſſe ſolet ſtrepitus Regis, magno cum exercitu & equitatu reboantibus tympanis ex ur-

فسمعوا اللصوص ضجيجا عظيما
كضجيج ملك عظيم قد خرج من
مدينته ومعه عساكر وخيول وطبول
فجزعوا اللصوص من ذلك وتركوا
كلما كانوا اخذوا فقام اولايك
القوم وحل بعضهم كتاف بعض
واخذوا اموالهم ومضوا فلما راوا
يوسف ومريم مقبلين قالوا لهم اين
هو الملك الذي سمع اللصوص صوت
عظمة ضجيجه وتركونا انلك
وتخلصنا فقال لهم يوسف سوف
ياتي بعدنا۞ ووصلوا قرية اخري
وكان فيها امراة مجنونة لانها
كانت قد خرجت في الليل لتستقي
الما

be ſua egredientis; qua re perculſi relicta omni præda propere fugiebant. Surgentes itaque captivi, alter alterius vincula ſolvebant, & receptis ſarcinis ſuis abeuntes, cum Joſephum & Mariam accedentes viderent, rogabant: Ubi nam ille Rex, cujus adventantis ſtrepitum audientes latrones nos reliquerunt, ita ut ſalvi evaſerimus? Reſpondebat Joſephus: Pone nos veniet.

Deinde in aliam urbem venerunt, ubi mulier erat dæmoniaca, quam, cum noctu aliquando aquatum proceſſiſſet, Satanas maledictus & rebellis inſederat. Hæc neque veſtimenta pati, neque in ædibus durare poterat, &, quotieſcunque catenis illam aut

الما فاعتراها الشيطان اللعين المارد
وكان لا يمكنها من اللباس ولا من
المقام في العمارة وكلما ربطوها
بالسلاسل والقيود كانت تقطعهم
وتخرج الى البراري عريانة وتقوم في
مفارق الطرق وفي المقابر وكانت
ترجم الناس بالحجارة وكانوا اهلها
يلاقون عنها العظايم فلما راتها
مرت مريم رحمتها فتركها
الشيطان في الحال ومضي كالشاب
هاربا وهو يقول ويلاة منك يا مريم
ومن ابنك وبريت تلك الامراة من
المها وعرفت نفسها واستحيت من
عريها ومضت الى اهلها مختفية من
الناس

loris conſtringerent, diſruptis illis, nuda, in loca deſerta fugiebat, triviiſque & ſepulchretis inſiſtens homines lapidibus impetebat, ita ut propinquis ſuis magnæ calamitati eſſet. Hanc igitur conſpicata Diva Maria, miſerta eſt; & confeſtim dereliquit eam Satanas & in forma juvenis fugiens abiit, dicens: Væ mihi a te, Maria, & a filio tuo! Sic ſanata eſt iſta mulier a cruciatu ſuo, reſipiſcenſque & propter nuditatem ſuam erubeſcens ad ſuos abiit, conſpectum hominum fugitans, indutaque veſtes ſuas patri & propinquis rationem ſtatus ſui expoſuit: qui, quoniam ex optimatibus civitatis erant, Divam Mariam & Joſephum magna cum veneratione

 hoſpi-

الناس ولبست ثيابها واخبرت اباها
واهلها كيفية الحال وكانوا اهلها
اكابر وجوه القرية فاضافوا لمرت
مريم وليوسف بكرامة حسنة ومن
الغد انصرفوا من عندهم مزودين ۞
وفي عشية ذلك اليوم وصلوا الي
قرية اخري كان فيها عرس وبحيلة
الشيطان اللعين وبفعل السحرة
خرست العروس ولم تعد تنطق فلما
دخلت السيدة مرت مريم لتلك
القرية وهي حاملة السيد المسيح
ولدها راتها تلك العروس الخرسة
فبسطت يديها نحو السيد المسيح
وجذبته وحملته ولزمته وقبلته
فتحركت

hoſpitio exceperunt.

Proxima luce, viatico probe inſtructi, ab illis digreſſi ſunt, & circa veſperam ejus diei in aliud oppidum, in quo nuptiæ celebrabantur, devenerunt; ſed technis Satanæ maledicti, & opera veneficorum obmutuerat ſponſa, ita ut hiſcere amplius nequiret. Divam itaque Dominam Mariam, cum filium ſuum Dominum Chriſtum ulnis geſtans oppidum intraret, conſpicata muta iſta ſponſa manus ſuas verſus Dominum Chriſtum extendit, eumque ad ſe pertractum ulnis excepit, & arcte inhæreſcens baſia frequentia illi impegit, crebro eum motitans ſuoque corpori apprimens. Extemplo ſolutus eſt nodus linguæ ejus, &

فتصاعدت رايحة جسمه اليها فاذحل
انعقال لسانها وانفتحت اذناها
وسبحت الله وشكرته الذي وهب لها
العافية وصار عند اهل تلك القرية
فرحة عظيمة في تلك الليلة وظنوا ان
الله وملايكته قد نزل عليهم ۞ واقاموا
هناك ثلثة ايام مكرمين متنعمين
وخرجوا من عندهم متزودين فوصلوا
الي قرية اخري وهموا بالمبيت فيها
لانها كانت اهلة بالنس وكان في هذه
القرية امراة معروفة وكان قد مضت
الي النهر في بعض الايام لتغتسل
واذا الشيطان اللعين قد تشبه بحية
ووثب عليها واستدار علي بطنها
وكلما

apertæ ſunt aures ejus; Deoque, quod ſanitatem ipſi reſtituiſſet, laudes & grates canere cœpit. Magna itaque hac nocte lætitia inter cives ejus oppidi oriebatur, adeo ut putarent, Deum & Angelos ejus ad ſeſe deſcendiſſe.

Triduum ibi ſubſtiterunt, magna in veneratione habiti, & apparatu ſplendido accepti. Viatico deinde inſtructi ab illis diſceſſerunt, & in aliam urbem devenerunt, in qua, quod hominum celebritate floreret, pernoctare deſiderabant. Erat vero in hac urbe mulier nobilis, quæ cum aliquando lavatum ad flumen deſcendiſſet, ecce tibi! Satanas maledictus in forma ſerpentis inſiluerat in eam, & ventrem ejus circum-

وكلما جا الليل كان يتطاول عليها
ولما ولمارات هذه الامراة للسيدة مرت
مريم والسيد المسيح في حضنها وهو
طفل اشتاقت اليه وقالت للسيدة مرت
مريم يا سيدتي اعطيني هذا الطفل
لاحمله واقبله فاعطتها اياه فلما قرب
منها استرخا ذلك الشيطان عنها
وتركها وولي هاربا ولم تعد تبصره
بعد ذلك اليوم فسبح جميع
الحاضرين لله تعالي وصنعت لهم
ذلك الامراه صنيعا حسنا ۞ فلما
كان من الغد اخذت ذلك الامراه
ما طيبا لتغسل الرب يسوع فلما
غسلته اخذت ما الغساله وكان هناك

صبية

plicaverat; ſingulisque noctibus ſuper illa ſe extendebat. Hæc mulier conſpicata Dominam Divam Mariam, & Dominum Christum infantem in ſinu ejus, rogabat Dominam Divam Mariam, ut ſibi infantem hunc geſtandum & deoſculandum traderet. Annuente illa, & vix admoto puero, diſceſſit ab illa Satanas, & fugiens eam reliquit, neque unquam poſt hunc diem mulier illum vidit. Omnes ergo vicini Deum ſupremum laudabant; & mulier iſta magna eos benignitate remunerabatur.

Poſtero die eadem mulier aquam odoratam ſumſit, ut Dominum Jeſum lavaret; eoque loto aquam illam penes ſe reſervavit.

صبية قد ابيض جسمها من البرص
فسكبت عليها من ذلك الما وغسلتها
به فطهرت من برصها في الحال فاما
اوليك القوم قالوا لا شك ان يوسف
ومريم والصبي هم الهة وليس اناس
فلما عزموا علي الخروج من عندهم
دنت تلك الصبية التي كانت
مبرصة اليهم وسالتهم ان ياخذوها
معهم ۞ فاجابوها الي ذلك فمضت
معهم حتي وصلوا الي قرية كان
فيها قصرا لقايد جليل وله دار
برسم الضيافة فنزلوا فيها فمضت
تلك الصبية ودخلت الي زوجة القايد
فوجدتها باكية حزينة فقالت لها
ما

Eratque ibi puella, cujus corpus lepra album erat, quæ cum aqua hac perfunderetur & lavaretur, mundata fuit ex tempore a lepra ſua. Dicebat ergo populus: Nullum eſt dubium, quin Joſephus, & Maria, & puer iſte dii ſint, neque enim mortales videntur. Cum vero diſceſſum pararent, accedens puella iſta, quam lepra infeſtaverat, rogabat illos, ut ſe viæ comitem adſumerent.

Annuebant, ibatque cum eis puella, donec in urbem venirent, in qua arx erat magni Principis, cujus haud procul a diverſorio ædes erant.] Huc divertebant, cumque abiens puella ad uxorem Principis intraſſet, eamque triſtem & plorantem reperi-

 ret,

ما لكِ باكية فاجابتها قايلة لا
تعجبي من بكاي لان لي داي عظيم
ولم استطع اقوله لاحد من الناس
فقالت لها الصبية لعلك اذا اظهرتية
وكشفتية لي يوجد عندي دواه
فقالت لها امراة القايد اكتمي
هذا السر ولا تقوليه لاحد فاني
امراة لهذا القايد وهو ملك وتحت
يده بلاد كثيرة ولي معه عدة
طويلة وما له مني ولد ولما رزقت
منه ولدا صار مبرصا فلما راه استنكر
منه وقال لي اما انك تقتليه واما
تسلميه لمربية تربيه في موضع لا
يطلع له خبر البتة واما اني
اكون

ret, causam fletus sciscitabatur. Ne mirare, inquit illa, singultus meos; magna enim calamitate premor, quam nulli hominum narrare ausim. Atqui, ait puella, forte, si malum tuum secretum mihi commiseris, ejus apud me remedium invenietur. Tu ergo, respondit uxor Principis, secretum hoc abscondens nulli mortalium narrabis. ego nupta huic Principi, regis instar multis terris imperitanti, diu ita cum ipso vixi, ut nullam ex me prolem susciperet. tandem ex eo concepi, sed filium (*eheu!*) leprosum peperi; quem ille conspectum pro suo non agnovit, mihique, Vel tu, ait, hunc interfice, vel nutrici cuipiam trade, tali loco educandum, unde

 nul-

اكون دري منك اولا اعود اراك ابدا
وقد تحيرت في امري وعظم حزني
ويلي من ابني وويلي من زوجي
فقالت لها تلك الصبية لقد وجدت
لراحتك دوا اخاطبك به لاني اذا ايضا
كنت مبرصة فطهرني الله الذي هو
يسوع ابن السيدة مريم فقالت لها
تلك الامراة ابن هو هذا الاله الذي
ذكرتيه قالت لها الصبية هاهنا معك
في الدار قالت وكيف ذلك واين
هو قالت لها الصبية هاهوذا يوسف
ومريم والطفل الذي معهم الذي
يدعي يسوع وهو الذي ابراني من
المي ووجعي فقالت لها وكيف
برئتي

nulla ejus fama audiatur. jamque res tuas tibi habe, nunquam te rurſus videbo. Itaque mœrorem meum & conditionem miſeram deplorans contabui. heu filium meum, heu conjugem! Dixine tibi? inquit puella; morbo tuo medicinam reperi, quam tibi ſpondeo. nam ego quoque leproſa fui, ſed mundavit me Deus, qui eſt Jeſus, filius Dominæ Mariæ. Rogante autem muliere, ubinam hic eſſet Deus, quem memoraret? Hic tecum, inquit puella, in eadem domo verſatur. At qua ratione hoc fieri poteſt, ait illa, ubinam eſt? Ecce, regerit puella, Joſephum & Mariam; infans vero, qui cum illis eſt, Jeſus vocatur, atque is eſt, qui morbum

meum

بريئني من برصك ما تعرفيني
ذلك قالت نعم لاذي اخذت من
امه غسالة جسمه وسكبته علي
فطهرت من برصي فعند ذلك
قامت زوجه القايد واستضافت بهم
وعملت ليوسف ولجمة عظيمه مع
جماعه رجال ولما كان بعد ذلك
اليوم من باكر اخذت ما مطيبا
لكيما يغتسل به الرب يسوع واخذت
ابنها معها وغسلته بما الغساله وفي
ذلك الوقت طهر ولدها من برصه
فشكرت لله وسبحته وقالت طوبي
لوالدتك يا يسوع كيف تطهر
الناس اللذين هم ابنا جنسك بالما
اللذي

meum & cruciatum ſanavit. At qua ratione, ait illa, mundata es a lepra tua? nonne id mihi indicabis? Quid ni? inquit puella; aquam, qua lotum fuerat corpus ejus, accepi, & in me effudi, & evanuit lepra mea. Surgens itaque uxor Principis hoſpitio illos excepit, & ſplendidum Joſepho convivium in magno virorum cœtu paravit. Poſtera vero luce aquam odoratam ſumſit, qua Dominum Jeſum ablueret, & filium ſuum, quem ſecum aſſumſerat, eadem deinde aqua perfudit, & extemplo filius ejus mundatus eſt a lepra ſua. Grates ergo & laudes Deo canens, Beata, inquit, mater, quæ te peperit, o Jeſu! itane homines, ejuſdem tecum naturæ

 par-

اللذي يغسل بهٖ جسمك ودفعت
للسيدة مرت مريم مواهبا جزيلة
وشيعنها بكرامة عظيمة ۞ ووصلوا
من هناك الي قرية اخري وارادوا
ان يباتوا فيها فنزلوا في دار رجل
كان قد تزوج جديد وهو مربوط
عن زوجته فلما باتوا عنده تلك
الليلة انحل رباطه فلما كان الصباح
هموا بالمسير فمنعهم ذلك العريس
وعمل لهم وليمة عظيمة ۞ ومن الغد
ساروا فلما قربوا من قرية اخري
راوا ثلثة نسا ماشيات من المقبرة
وهن باكيات فلما نظرت البهن مرت
مريم قالت لتلك الصبية اللذي

صحبتهم

participes, aqua, qua corpus tuum perfuſum fuit, mundas? Ingentia porro munera Dominæ Divæ Mariæ obtulit, eamque eximio cum honore dimiſit.

Ad aliam deinde urbem pervenientes, in illa pernoctare deſiderabant. Divertebant itaque ad virum, recenti mattimonio devinctum, ſed qui veneficio tactus uxore frui non poterat; cumque ea nocte penes ipſum pernoctaſſent, ſolutum eſt vinculum ejus. At oriente luce cum ad iter ſeſe accingerent, prohibuit eos ſponſus, magnumque illis convivium apparavit.

Poſtero ergo die profecti, & novæ urbi appropinquantes, tres conſpiciunt mulieres a ſepulchro quodam magno cum fletu proce-

صحبتهم اساليهن ما قصتهن وما
الذي دهاهن فسالنهن فلم يُجيبوها
بل قلن لها من اين انتم والي اين
انتم ماضين لانه قد مضي النهار
وجا الليل فقالت لهن الصبية انا
قوم مسافرون ونحن قاصدين
المبيت فقلن لها هلموا معنا
وباتوا عندنا فمضوا معهن وكان
لهن بيت جديد مزخرف وفيه الات
كثيرة فادخلوهم الي ذلك البيت
وكان في ايام الشتا فدخلت
الصبية ايضا اليهن فوجدتهن
يبكيان وينوحان وعندهن بغل واحد
وعليه جل ديباج وبين يديه سمسم
وعن

dentes. Quas conſpicata diva Maria, inquit puellæ, quæ ipſam comitabatur: Abi, & quære ex illis, quæ ſit ipſarum conditio, & quid ipſis calamitatis acciderit. Cumque a puella rogarentur, nihil reſpondentes viciſſim interrogabant: Unde vos, & quo tenditis? jam enim præteriit dies, & nox ingruit. Nos viatores ſumus, inquit puella, & diverſorium, in quo pernoctemus, quærimus. Dicebant illæ: Ite nobiſcum, & apud nos pernoctate. Secuti ergo illas, in domum novam, ornatam, & varia ſupellectile inſtructam introducebantur. Erat vero tempus brumale, & puella mulierum iſtarum conclave ingreſſa rurſus eas flentes & lamen-

وهن يقبلنه ويعلفنه فقالت لهن
تلك الصبية يا سيداتي ما خبر
هذا البغل فاجابوها وهن باكيات
وقلن لها ان هذا البغل الذي
تنظرينه كان اخونا من امنا هذه
ومات ابونا وخلف لنا مالا جزيلا
وكان لنا هذا الاخ لا غير فقصدنا
ان نزوجه وان نعمل له عرسا
لعادة الناس فتغايرن عليه النسا
وسحروه ونحن لا نعلم وبينما
نحن في بعض الليالي قبل الصباح
بقليل وابواب دارنا مغلوقة واذا نحن
ننظر اخونا هذا وقد صار بغلا كما
ترينه واب ما لنا نتعزي به ونحن
حزانا

tantes inveniebat. Adſtabat eis mulus, tegumento ſerico inſtratus, ebeno ex collo ejus dependente, cui oſcula dabant, & pabulum ſubminiſtrabant. Dicente autem puella iſta: Quam pulcher, o dominæ meæ, hic mulus eſt! reſpondebant illæ flentes & dicebant: Mulus hic, quem cernis, noſter fuit frater, eadem hac matre noſtra natus. cum enim fato functus parens noſter magnas nobis opes reliquiſſet, atque hunc unicum fratrem haberemus, commodum illi matrimonium quærebamus, nuptias ei, more hominum, parare geſtientes. Sed mulieres zelotypiæ oeſtro percitæ illum nobis inſciis faſcinarunt, & nos quadam nocte, paulo ante auroram,
fo-

حزانا كما تنظرين وما تركنا
في الدنيا احدا من المعلمين والسحرة
والمعزمين الا واحضرناهم ولم يفدنا
شيا البتة وكلما ضاقت صدورنا
نقوم ونمضي مع امنا هذه ونبكي
عند قبر ابينا وندعو فلما سمعت
تلك الصبية ذلك منهن قالت تعزيان
ولا تبكيان فان شفا دايكن قريب وهو
معكن وفي وسط بيتكن لاني اذا
ايضا كنت مبرصة ولما رايت هذه
الامراة ومعها هذا الطفل الصغير
الذي اسمه يسوع وقد غسلته امه
واخذت من ما غسالته وسكبته علي
جسمي فبريت واذا اعلم انه قادر
علي

foribus ædium noſtrarum probe occluſis, fratrem hunc noſtrum mulum factum eſſe vidimus, qualem hodie illum cernis. Nos vero triſtes, ſicuti vides, quia pater non erat nobis, quo nos ſolaremur, nullum in mundo ſapientem, aut magum, aut incantatorem omiſimus, quin illum accerſeremus; ſed nihil omnino nobis profuit. Itaque, quoties pectora noſtra moerore opprimuntur, ſurgimus, & cum matre hac noſtra ſepulchrum patris noſtri adimus, &, poſtquam ibi flevimus, revertimur. Hæc cum audiviſſet puella iſta, Animum recipite, inquit, & fletus omittite; etenim medicina mali veſtri propinqua eſt, imo vobiſcum eſt, & in medio ædium

علي اشفايكن من دايكن لكن
قوموا امضوا الي عند سيدتي
مريم امه وادخلنها الي بيتكن
واكشفن لها سركن واسالنها
واطلبن منها ان تشفق عليكن
فلما سمعن النسوة كلام الصبية
خرجن مسرعات الي عند السيدة
مرت مريم وادخلنها اليهن وجلسن
امامها وهن باكيات قايلات يا
سيدتنا مرت مريم ترحمي
علي امايك فما بقي لنا كبير
ولا رييس ولا اب ولا اخ يدخل علينا
ويخرج وهذا البغل اللذي تنظريه
كان اخونا وقد سحروه النسا حتي
صار

veſtrarum: nam ego quoque leproſa fui, ſed ut iſtam vidi mulierem, & cum illa infantem hunc parvulum, cujus nomen eſt Jeſus, aqua, qua illum abluerat mater, corpus meum perfudi, & munda evaſi. novi autem, illum veſtro quoque malo poſſe mederi; quare ſurgite, Dominam meam Mariam adite, atque ei in manſiunculam veſtram deductæ ſecretum veſtrum revelate, ſuppliciter illam rogantes, ut veſtrum miſereatur. Poſtquam mulieres ſermonem puellæ audiverant, propere Dominam Divam Mariam adibant & ad ſeſe introducebant, & coram ea conſidentes flebant & dicebant: O Domina noſtra, Diva Maria, miſerere ancillarum tuarum; ne-

صار كما تريته ونحن الان نسالك
ان تترافين علينا فحيتيذ شفقت
عليهن مرت مريم واخذت الرب
يسوع ورفعته علي ظهر البغل
وبكت هي وتلك النسوة وقالت
لوالدها يسوع المسيح يا ابني بالقوة
العظيمة اللتي لك اشفي هذا
البغل واجعله انسانا عاقلا كما
كان اولا وعند خروج الكلمة من
فم السيدة العذري مرت مريم
تغير ذلك البغل وصار انسانا وهو
رجلا شابا سليما من كل عيب
عند ذلك سجد هو وامه واخواته
للسيدة مرت مريم وحملوا الصبي
علي

que enim ſenior nobis ſupereſt, aut familiæ princeps, neque pater aut frater, qui coram nobis intret & exeat: ſed mulus hic, quem vides, frater noſter fuit, quem mulieres faſcino talem, qualem cernis, effecerunt. te itaque rogamus, ut noſtrum miſerearis. Tunc ſortem illarum dolens Diva Maria ſublatum Dominum Jeſum dorſo muli imponit, & filio ſuo, Heus, inquit, Jeſu Chriſte, ſana hunc mulum eximia tua potentia, & formam illi humanam & rationalem, quali antea fuit præditus, reſtitue. Vix egreſſa erat vox ex ore Dominæ Divæ Mariæ, cum immutatus ſubito mulus, in formam humanam tranſiret, ac vir juvenis & ab omni labe integer e-

على روسهم وبدوا يقبلوه قايلين
طوبي لوالدتك يا يسوع يا مخلص
العالم طوبي للعيون اللذين ينظرون
بالنظر اليك وقالت الاختان لامها ان
اخانا قد استقام بمعونة الرب
يسوع المسيح وبركة هذه الصبية
اللتي اطلعتنا على خبر مريم
وابنها والان اخونا هو اعزب
والصواب ان نزوجه بهذه الصبية
خادمتهم وسالوا مرت مريم في ذلك
الامر فاجابتهم الي سوالهم فعملوا
لتلك الصبية عرسا عظيما واستبدلوا
بالحزن فرحا وبالمناحة طربا
وبدوا يحجلون فيفرحون فيبتهجون
فيغنون

vaderet. Tunc ipse, ac mater ejus & sorores Dominam Divam Mariam adorabant, ac puerum super capita sua elatum osculabantur, dicentes: Beata est genitrix tua, o Jesu, o Servator mundi! beati sunt oculi, qui felicitate asspectus tui fruuntur. Dicebant porro ambæ sorores matri suæ: Equidem frater noster auxilio Domini Jesu Christi, & benedictione puellæ istius, quæ Mariæ & filii ejus indicium nobis fecit, in pristinam formam restitutus est. Nunc igitur, cum frater noster sit cœlebs, convenit ut puellam hanc, famulam illorum, nuptum ipsi demus. Hoc cum a Diva Maria petiissent, ipsaque annuisset illis, splendidas huic puellæ nu-
ptias

فيغنون ولكثرة سرورهم لبسوا افخر
ثيابهم وحليهم وصاروا ينشدون
فيمدحون فيقولون يا يسوع ابن
داوود مبدل الغم فرحا والحزن
سرورا ولبثوا هناك عشرة ايام
مرت مريم ويوسف ثم صاروا من
هناك بعد ان اكرموهم اوليك
القوم كرامات كثيرة وودعوهم
ورجعوا من وداعهم وهم باكين
لسيما تلك الصبية فلما انطلقوا
من هناك وصلوا الي ارض مقفرة
وسمعوا انها مخيفة ففكر يوسف
ومرت مريم ان يجوزوا في تلك
الارض ليلا وبينما هما سايران واذا
هم

ptias paraverunt; & mœrore in lætitiam, planctuque in risum commutato, gaudere, lætari, exsultare & canere coeperunt, ob excessum lætitiæ splendidissimis vestibus & monilibus ornatæ. Deinde Deum commemorantes & laudantes, dicebant: O Jesu, fili Davidis, qui moerorem in lætitiam & lamenta in risum convertis! Manseruntque ibi Josephus & Maria decem dies. Deinde profecti sunt, magnis honoribus ab hisce hominibus affecti; qui, cum illis valedixissent, & a valedicendo revertissent, flebant, & præ cæteris puella.

Hinc digressi cum in terram desertam pervenissent, eamque latrociniis infestam esse audirent,

هم ينظرون في طريقهم لصين
نايمين ومعهم جماعة لصوص
اصحابهم وهم ايضا راقدون وكان
هولاي اللصين الذين صادفوهم
طيطوس ودوماخوس فقال طيطوس
لدوماكوس اسالك ان تطلق سبيلهم
ليمضوا ولا يعلم بهم اصحابنا فابي
دوماكوس ذلك فقال له طيطوس
خذ لك مني اربعين درهما وخذ
هذا رهنا عندك وذاوله الهميان
اللذي علي وسطه ليمسكت ولا يتكلم
فلما نظرت السيدة مرت مريم
هذا اللص قد احسن اليهم قالت له
الرب الاله يعضدك بيمينه ويمنحك
مغفرة

Josephus & Diva Maria regionem hanc noctu trajicere parabant. At inter eundum, ecce! duos in via latrones conspiciunt dormientes, & cum illis multitudinem latronum, qui illorum socii erant, itidem stertentium. Erantque duo isti latrones, in quos incidebant, Titus & Dumachus, dicebatque Titus Dumacho: Rogo te, ut istos libere sinas abire, ne socii nostri illos animadvertant. Recusante autem Dumacho, rursus Titus, Cape tibi, inquit, a me quadraginta drachmas, & pignus habe zonam hanc meam. quam dicto citius illi porrigebat, ut ne hisceret aut loqueretur. Vidensque Domina diva Maria hunc latronem ipsis benefacere, ait illi: Do-

مغفرة الخطايا فاجاب الرب يسوع
وقال لامه يا امي بعد ثلثين سنة
يصلبوني اليهود في مدينة اورشليم
فيصلبون هذان اللصين معي طيطوس
عن يميني ودوماكوس عن شمالي
وبعد ذلك اليوم يسبقني طيطوس
الي الفردوس قالت حاشاك يا
ولدي من ذلك ❁ ومضوا من هناك
الي مدينة الاصنام فلما قربوا منها
انقلبت وصارت روابي رمل ❁
ومضوا من هناك الي الجميزة التي
تدعي اليوم المطرية واذبع الرب
يسوع في المطرية عين ما
غسلت مرت مريم قميصه في تلك
العين

minus Deus te ad dextram ſuam recipiet, & remiſſionem peccatorum tibi largietur. Et reſpondit Dominus Jeſus & dixit matri ſuæ: Poſt triginta annos, o mater, crucifigent me Judæi Hieroſolymis, & duo iſti latrones mecum una in crucem tollentur, Titus ad dextram meam, & Dumachus ad ſiniſtram; & ab illo die præcedet me Titus in paradiſum.

Cumque dixiſſet illa: Avertat hoc a te Deus mi fili! abierunt illinc ad urbem idolorum, quæ, poſtquam illi appropinquaſſent, in colles arenarum fuit mutata.

Hinc ad ſycomorum illam digreſſi ſunt, quæ hodie Mataréa vocatur; & produxit Dominus Jeſus fontem in Mataréa, in quo

العجين ومن عرق الرب يسوع الذي
يدورته هناك خرج في تلك الارض
البلسم۞ ومن هناك نزلوا الي مصر
ونظروا فرعون وبقيوا في ارض مصر
ثلث سنين وعمل الرب يسوع في ارض
مصر اعاجيب كثيرا ما هي مكتوبة
لا في انجيل الطفولي ولا في الانجيل
الكامل۞ وبعد ثلث سنين عاد
ورجع من مصر فلما وصلوا الي
ارض اليهود خاف يوسف من
المسير اليها فلما بلغته ان ارشلاوس
ابنه قد ملك بعده البلاد خاف
ومضي الي ارض اليهود فظهر
له ملاك الرب وقال له يا يوسف
امضي

Pag. 5. *Cum in cunis jaceret.* Fabellam antiquam de Christo infante statim locuto avide arripuit Mohammed, ejusque sequaces. Alcorani capite III. 41. introducuntur angeli beatæ Mariæ de Christo ex ipsa nascituro prædicentes,

يكلم الناس في المهد *eum in cunis homines allocuturum.* Sic ex traditione refert *Kessæus*, insignis ille Mohammedanorum μυθολόγος: Zachariam, cum domi suæ non reperiret Mariam τὴν Θεοτόκον, (quæ, ut partum suum celaret, noctu clanculum extra urbem processerat, sub palma ibi Christum paritura) misisse Josephum, sobrinum ejus, qui illam investigaret. Hic cum illam repertam alloqueretur, taceretque ipsa, pro matre Christum infantem in hæc verba respondisse: يا يوسف ابشر وقر عينا وطب نفسا فقد اخرجني الله من ظلمات البطن الي ضو الدنيا وساتي الي بني اسرايل وادعوهم الى طاعة الله *O Josephe, gaude, & lætare, & bono esto animo!*

mo! etenim eduxit me Deus ex tenebris uteri in lucem hujus mundi; & adibo filios Israëlis, eosque ad obedientiam Deo præstandam invitabo. Aliud exemplum suppeditat ipse *Alcoranus, cap.* XIX. 28. *& seqq.* Nempe cum paulo post Maria, Christum infantem ulnis gestans, in urbem ad suos rediret, & adverso populi clamore exciperetur, dicentis: *O Maria, rem miram affers! o soror Haronis, non fuit pater tuus vir malus, neque mater tua impudica*; ipsa intento digito puerum illis monstrabat, quicum loquerentur. Illis vero regerentibus: *Quomodo sermocinabimur cum puero in cunis jacente?* inquit Jesus:

اني عبد الله اتاني الكتاب
وجعلني نبيا وجعلني مباركا
اينما كنت واوصاني بالصلوة
والزكوة ما دمت حيا وبرا
بوالدتي ولم يجعلني جبارا شقيا
والسلام علي يوم ولدت ويوم اموت
ويوم ابعث حيا *Ego servus Dei sum, qui librum (Euangelium) mihi dedit, meque prophetam constituit & ubique felicem; qui preces mihi & elemosynas per omnem vitam observan-*

 das

das commendavit: fecit me pium erga genitricem meam, non vero superbum aut miserum; (miserum vocant Arabes hominem Deo immorigerum, explicante hic *Gialaloddino* laudatissimo Scholiaste, ipsoque *Kessao*) *& pax super me die nativitatis & mortis, & die illo, quo ad vitam resuscitabor*. Postrema hujus commatii verba apprime notanda sunt contra Muslimos, suo sibi gladio jugulandos: qui, a Pseudopropheta suo dissentientes, Christum crucifixum esse aut mortuum præfracte negant; eum sine mortis interventu, cum dormiret, in cœlos sublatum nugantes. Hæc ex Sunna *Zamachscharius*, *Gialalo 'ddînus*, *Kessaus*, alii: sed Sunnæ sententias Mohammedi tribuere, idem est ac nugarum Talmudicarum cum Judæis Mosem statuere auctorem. Qua de re alias prolixius. Vide interim *Werneri* Compend. p. 31. 32. & *Hottingeri* Hist. Ecclef. Tom. VII. pag. 413. & seqq. Sed ut ad Christi infantis sermones revertamur, operose Mohammedem hoc nomine illi præfert *Abunazarus*, scriptor nugacissimus, quod is præstantiora longe statim a nativitate locutus sit. Arabica auctoris verba leguntur in *Hottingeri* Histor. Orient. l. I. c. VI. quæ ita vertit *Hottingerus* : *Cum a matre avelleretur* (Mohammed,) *pronus concidit in vultum suum, ut Deo honoris cultum, incurvando se, deferret: prosternens autem se, dixit: O mater mea! Elevato*

vato

vato poſtea ab incurvatione capite ſuo, diſerta lingua fatus eſt: Teſtor, quod

لا الاه الا اللة واني رسول اللة

LA ILAH ILLA 'LLAH

WAINNI RESUL ALLAH

non eſt Deus, niſi Deus; & ego ſum Legatus Dei. *Unde diſcimus, laudationem ejus laudatione Iſa (ſuper quibus ſit pax) luculentiorem eſſe.* Iſa *enim lingua quidem ſua laudavit; at honoris exhibendi gratia ſe non incurvavit.* Iſa *locutus fuit matri ſuæ; at* Propheta, *ſuper quo quo precatio divina & pax, locutus eſt Domino.* Iſa *teſtatus eſt de eo, quod non haberet patrem; at* Mohammed, *ſuper quo preces Dei & pax, teſtatus eſt ſe delectari in uno. Atque ſic laudatio ejus fuit illuſtrior.* Hæc quidem ſatis jam hyperbolica; ſed neque hic ſubſtitit ventoſus & tumens Aſianorum genius, omnem mythologiam veterum poëtarum, qui fabellas ſuas Mileſias ſaltem carminum ſuavitate nobis commendaverunt, longe exſuperans. Keſſæus enim cum legationem Gabrielis ad Mariam virginem, qualis cap. III. Alcorani exhibetur, enarraſſet, addit Chriſtum in utero matris eſſe locutum. Ipſa nugatoris verba accipe, فاخبرها جبرايل

 بكل

بكل امة تكون لعيسي فطابت نفسها
عند ذلك علم بحملها ابن خالها
يوسف النجار ثم قال لها معترضا
يا مريم هل نبت في الارض
زرعا بغير بذار قالت له الم تعلم
ان الله انبت الزرع يوم خلق من
غير بذار قال صدقت من اين لك
هذا الولد ومن ابوه قالت هذا
هدية الله وموهبته لي ومثله كمثل
ادم خلقه الله من تراب ثم قال
له كن فكان قال فنطق عيسي
من بطن امه وقال يا يوسف ما هذه
الامثال اللتي تضربها الان قم وانطلق
الي عبادتك واستغفر لذنبك مما
وقع في باطنك فقام يوسف حتي
دخل علي زكريا واخبره بذلك
فاغتم

واغتم زكريا وقال لامراته ان مريم
حاملة وليس لها زوج واني اخشي من
فساق بني اسرايل ان يتهموها من
اجل يوسف فقالت له امراته استعن
بالله وتوكل عليه فانه يرد عنها
مقالة الفساق قال ثم دنا ولادتها
فبلغ ذلك ملك بني اسرايل
وكان اسمه هنوش ابن هندروش
وكان جبارا عاتيا فدعي بني
اسرايل وقال لهم من تكون هذه
المراة اللتي يكلمها ولدها في بطنها
حتي لا يعلم ما هو فلذلك نتكلم
فسكت ولم ينطق ابدا ۞

Et exponebat illi Gabriel omnia signa Isa affutura, quapropter ipsa admodum lætabatur. Josephus vero faber consobrinus ejus, cognito ipsam esse gravidam, contendens cum illa, O Maria, inquit, numquid in terra seges provenit non facta

ta semente ? Cui illa, Itane, ait, ignoras, Deum tempore creationis sine interventu seminis fruges produxisse? Credo, inquit Josephus; sed unde hæc tibi proles, & quis ejus parens ? Respondet Maria: Hoc ego munus & donum a Deo habeo; eademque ejus est ratio, qua Adami, quem ex terra Deus creavit, dixitque: ESTO. & exstitit. Tunc locutus est Jesus ex utero matris suæ & dixit: Quid sibi volunt, o Josephe, ista comparationes, quas instituis? quin potius surge, & abi ad negotia tua, & veniam peccati tui supplex pete, quouiam tales cogitationes animum tuum subiverunt. Surrexit ergo Josephus, & Zachariam adiens hæc eadem illi exposuit. Et contristatus est Zacharias, & dixit uxori suæ: Gravida est Maria, neque maritum habet; metuo autem improbitatem filiorum Israël, ne suspectam illam habeant de Josepho. Cui uxor, Auxilium, inquit, a Deo pete, & in eo confide; hic enim calumnias ab ipsa repellet. Instante vero partu ejus, cum nunciata hæc essent Regi filiorum Israël, cujus nomen erat Hannausch Ibn Henderusch, tyranno impio, ille convocatis filiis Israël, Quæ hæc sit mulier, ait, quicum embryo in utero ejus loquitur, antequam sciat, quis ille futurus sit? Hac de re ergo loquamur. & obmutuit, neque unquam postea locutus est. Videbimus infra Mohammedem undecunque sua primum compilaverit, circumstan-

tias

tias partus virginei ex Poëtarum de Latona fabellis adornasse. Sed hæc quoque, quæ modo vidimus, congruunt illis, quæ Callimachus hymno in Delum de Apolline canit; embryonem scilicet ὑποκόλπιον *in utero* cum matre locutum, Thebis hospitium puerperæ negantibus mala multa prædixisse, absterruisse matrem ne Coon insulam adiret, denique Delum tanquam puerperio aptissimam eidem commendasse:

---- σὺ δὲ ξυμβάλλεο μῆτερ.
Ἐστι διειδομένη τις ἐν ὕδασι νῆσος ἀραιή,
Πλαζομένη πελάγεσσι. πόδες δέ οἱ οὐχ' ἑνὶ χώρῳ,
Ἀλλὰ παλιρροίῃ ἐπινήχεται, ἀνθέρικος ὥς.
Ἔνθα Νότος, ἔνθ' Εὖρος, ὅπῃ φορέῃσι θάλασσα.
Τῇ με φέροις, κείνην γὰρ ἐλεύσεαι εἰς ἐθέλουσαν.

Quæ ita vertit Bonaventura Vulcanius

Tu vero genitrix corde hæc mea dicta repone:
Conspicua Aegeo exilis jacet insula, summis
Errabunda undis; neque enim vestigia certo
Hærent firma loco; vasto at circumflua ponto
Innatat albuco similis, quem proripit urgens
Hinc Notus, hinc Eurus, rapidive potentia fluctus.
Huc propera; nec enim tristem patiere repulsam.

Ibid. *Anno trecentesimo nono æra Alexandri.* Initium hujus *æræ* incidit in annum ab obitu Alexandri magni duodecimum, docente *Ulug-Beigo* de Epochis celebr. cap. 2. vide quoque Golium

lium ad *Alferganum* p. 56. 57. Annum eundem, ſed menſem inſuper, diem & feriam definit *Abulfaragius* in hiſtoria *Dynaſtiarum* p. 109. *edit. Pocok.* وفي السنة الثالثة
والاربعين من ملك اغوسطس قيصر
وهي السنة تسع وثلثماية من
تاريخ الاسكندر ولد السيد المسيح
من مريم العذرا ليلة الثلثا خامس
عشرين كانون الاول ✡ *Anno imperii Auguſti Cæſaris quadrageſimo tertio, qui æra Alexandri trecenteſimus nonus fuit, natus eſt Dominus Chriſtus ex Maria virgine, die Martis, Canuni prioris* (Decembris) *viceſimo quinto.*

Ibid. *Hieroſolymam abiit, venitque Bethlemum.* Hieroſolymam non memorat Lucas, c. 11. v. 4. iter Joſephi & Mariæ deſcribens. Magis diſcrepat Abulfaragius, qui Joſephum Hieroſolymæ deſcribendum fuiſſe, videtur innuere. Verba ejus hæc ſunt. pag. 109. وفي تلك
السنة كان قد ارسل قيصر الملك
قورينوس

قورينوس القاضي مع اصحاب الجزية
الي اورشليم فصعد يوسف خطيب
مريم من الناصرة مدينته الي
اورشليم ليثبت اسمه وعند موافاتهم
قرية بيت لحم ولدت مريم *Eodem anno miserat Cæsar Imperator Cyrenium Judicem cum census exactoribus Hierosolymam: quo factum est, ut Mariæ sponsus Josephus Nazarâ Hierosolymam adscenderet, quo nomen suum adscriberet: cum autem Bethlehemum oppidum pervenerant, peperit ibi Maria.* Quia Bethlehem dicitur κώμη *vicus* Joh. VII. 42. *villa* & *villula* Hieronymo, putavit, credo, Bethlehemitis, tanquam ignobilioris pagi incolis, Hierosolymam μητρόπολιν fuisse adeundam, ut ibi censerentur.

Ibid. *Cum ad speluncam pervenissent.* De fictitia ista spelunca vide egregie differentem *Casaubonum* Exercitatione 11. contra Baronium num. 1.

Ibid. *Instare sibi tempus pariendi.* Quod qua ratione cognoverit Maria, non per præsentiam dolorum, sed per peculiarem Dei inspirationem & agitationem, operose describit *Xavierius* in Pseudeuangelio suo p. 62. Sed & hic, plane

 ut

ut noſter iſte, oblivioni dederat ſalutare illud Apoſtoli monitum, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, *non ſapere ſupra id, quod ſcriptum eſt.* 1 Cor. IV. 6.

Pag. 7. *Hanc ſpeluncam intremus.* Conferendum hic æque fabuloſum illud Jacobi Proteuangelium *p. 7. edit. Baſil.* Et inveniens ibi ſpeluncam introduxit eam, & præfecit illi filium ſuum; & exiens perquirebat obſtetricem in regione Bethlehem.

Ibid. *Anum Hebræam conſpicit &c.* Plenius hic drama pertexit *Proteuang. Jac.* Et ecce mulier deſcendens a montanis ait illi: Tibi dico, o homo, quo vadis? Et ait: obſtetricem quæro Hebræam. Et dixit illi: Ex Iſraël es tu? Aitque illi: Sic. Illa autem dixit: Et quæ eſt, quæ parit in ſpelunca? Et ait illi: Quæ mihi eſt deſponſata. Et ait illi: Nonne eſt uxor tua? Dixitque Joſeph: Non eſt mea uxor, ſed eſt Marjam, educata in templo Domini, & habet conceptum ex Spiritu Sancto. Dixitque illi obſtetrix: Hocne verum eſt? Dixit ei: Veni & vide.

Ibid. *Repleta erat illa luminibus* &c. Eadem περιλογία in Proteuangelio verba allegata ſequitur: Et abiit obſtetrix cum ipſo, & ſtetit in conſpectu ſpeluncæ, & ecce, nubes lucida obumbrabat ſpeluncam. Et paucis interjectis: Repente autem fuit nubes in ſpelunca, & lux magna,

gna, ita ut oculi nostri non ferrent. Paulatim vero lux sese subduxit, quousque visus est infans, & accipiebat ubera ab ipsius matre Mariam.

Pag. 9. *Impone manus tuas.* Hic omnino aliquid deficit, cum manus obstetricis sanatæ memorentur, nulla prævia morbi mentione; quod utrum librarii, an auctoris ipsius culpa acciderit, nescio: saltem nulla in Manuscripto lacunæ apparent vestigia. Supplebit vero lector ex *Zenonis Episcopi serm. 6. de nat.* qui hoc modo rem enarrat: Maria incorrupta concepit, post conceptum virgo peperit, & post partum virgo permansit. Obstetricis incredulæ periclitantis, enixa in testimonium reperta ejusdem esse virginitatis, incenditur manus; qua tacto infante, statim edax illa flamma sopitur: sicque illa medica feliciter curiosa, dum admirata mulierem virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exsultat, quæ curatum venerat, curata recessit. Citantur hæc *Baronio* ad annum Christi 1. num. 7. & merito, tanquam ex Apocryphis hausta, rejiciuntur. Sicuti vero mendacium plerumque est πολυειδὲς, & raro sibi constat; ita hic quoque allegatum sæpius *Jacobi Proteuangelium* longe a superioribus diversa memorat, nec obstetricem ipsam, sed obviam ei factam Salomen hac ratione sanatam asserit. Locum ipsum adscribemus: Exiitque obstetrix ex spelunca, & ob-

obviavit illi Salome, & dixit obstetrix ipsi Salomæ: Magnum tibi spectaculum habeo narrare; virgo genuit, quem non capit natura ipsius, & virgo manet virgo. Dixitque Salome: Vivit Dominus Deus meus! nisi scrutata fuero naturam ejus, non credam, quod peperit. Et ingrediens obstetrix dixit ipsi Mariæ: Reclina te ipsam, magnum enim tibi certamen incumbit. Quum autem in ipso loco palpavit eam Salome, egressa est dicens: Væ mihi impiæ & perfidæ, quoniam tentavi Deum viventem. Et ecce manus mea, igne ardens, cadit a me. Et flexit genua ad Deum, & ait: Deus patrum nostrorum, memento mei, quoniam semen Abraham & Isaac & Jacob sum; & ne traducas me apud filios Israël, sed redde me pauperibus: tu autem nosti, Domine, quod in nomine tuo omnes curas & operationes complebam, & mercedem abs te recipiebam. Et angelus Domini adstitit, dicens ad eam: Salome, Salome, audivit te Dominus: offer manum tuam puero, & gesta illum; erit autem tibi salus & gaudium. Et accessit Salome, & gestavit eum, dicens: Adorabo ipsum, quia Rex magnus natus est in Israel. Et gestato puero repente sanata est Salome, & exiit e spelunca justificata. Voculam postremam dum considero, nullus dubito quin istud quoque Proteuangelium ex Arabica lingua, saltem Orientalium aliqua, in Græcam sit translatum: ver-

verbum ambiguum جري quod in noſtro quoque textu occurrit, cum ſanari etiam ſignificet, per τὸ *juſtificari* inepte reddidit Græculus.

Jam, quia in ſequentibus Mohammedanorum de Servatore noſtro fabellas cum iis, quæ noſter habet auctor, conferemus, non abs re fore puto, ſi hic quoque breviter ea, quæ de modo & loco nativitatis ejus tradiderunt iidem, conſideremus. Sic ergo Mohammed cap. XIX. Alcorani, cum narraſſet hiſtoriam annunciationis angelicæ, pergit *com.* 23. *& ſeqq.* فحملته فانتبذت به مكانا قصيا فاجاها المخاض الي جذع النخلة قالت يا ليتني مت قبل هزا وكنت نسيا منسيا ۞ فناداها من تحتها الا تحزني قد جعل ربك تحتك سريا ۞ وهزي اليك بجذع النخلة تساقط عليك رطبا جنيا ۞ فكلي واشربي وقري عينا فاما ترين من البشر احدا ۞ فقولي اني نذرت للرحمان صوما

صوما فلن اكلم اليوم انسيا فاتت به قومها تحمله قالوا يا مريم لقد جيت شيا فريا ۝ *Et cum utero illum geſtaret, ſubduxit ſe cum illo in locum remotum; coëgitque illam dolor partus ad truncum palmæ confugere:* ubi, *O utinam, inquit, mortua prius eſſem, & penitus oblivioni tradita! Et inclamavit eam, qui ſub illa erat,* dicens: *Abjice moerorem; poſuit Deus ſub te fluviolum, & concute verſus te truncum palmæ, ut recentes & maturi dactyli ad te decidant: & ede, & bibe, teque oblecta; quod ſi quem mortalium conſpexeris, dic, te jejunium Deo voviſſe, nec cum quoquam hodie verbum commutaturam. Cum deinde ad populum ſuum illum afferret, dicebant illi; O Maria, rem miram affers! &c.* vide reliqua ſupra *pag.* 3. Non ſine ratione quæret lector, quis hic intelligatur Mariam blandis adeo ac delenificis dictis conſolari? Chriſtum infantem modo natum intelligit vetus Alcorani interpres, qui verba iſta more ſuo libere nimis ita παραφράζει: *Chriſtus autem ſubtus eam egreſſus, ipſam conſolans inquit: Ne timeas, en ego tecum aſſideo. Deinceps Deus ipſam allocutus injunxit, ut palmam excuteret, ſicque ſuper eam arruteba recentia caderent, unde ipſa comedens & bibens, cor ſuum corroboraret,* &c. Sic plane

ὑπὲρ

ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδήσας quæ lubet immutat, addit, omittit. Nec tamen, ut verum fatear, abhorrent iſta a fabellis ſuperius pag. 2 3. 4. allatis; & fieri poteſt, ut Chriſtum intellexerit ipſe Mohammed, verba ſuſpenſa & ambigua plerumque abrumpens. Ejus autem ſequaces Gabrielem hic angelum in ſcenam producunt, in diverſa hactenus abeuntes, quod illud من تحتها *qui ſub illa erat*, alii ad Mariam ipſam, alii ad palmam, cujus præceſſerat mentio, referunt. Sic ad verba hæc *Et inclamavit eam, qui ſub illa erat*, notat Gialaloddînus: اي جبريل وكان اسفل منها *Gabriel ſcilicet, qui infra ipſam in loco depreſſiore adſtabat.* Keſſæus autem in hiſtoria nativitatis Chriſti hoc modo explicat: فناداها من تحتها يعني الملك الذي كان معها ناداها من تحت الشجرة من قبل الله وقال الضحاك كان جبرايل والله اعلم *Et inclamavit eam ſub ipſa*: (nota legere Keſſæum MIN TAHTIHA, quod

in

in multis quoque manuſcriptis codicibus comparet) *id eſt, Angelus, qui cum ipſa erat, inclamavit eam ſub arbore ante Deum. Dixit vero* Al-Dhahhâcus *fuiſſe Gabrielem, quod Deus optime novit.* Porro quomodo in locum remotum Maria ſe ſubduxerit, explicat *Keſſæus*; qui, poſtquam multa de nativitate Mariæ, ejuſque parentibus Imrane & Hanna, de educatione quoque ejus in templo Hieroſolymitano, ac deinde pubertatis tempore in domo Zachariæ &c. narraverat, (Proteuangelio Jacobi, iiſque, quæ in prætenſa Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum epiſtola leguntur, partim conformia, partim diſſona, in editione Alcorani, ſi Deus voluerit, latius a nobis producenda) ita pergit:

فلما دنا وقت ولادتها خرجت في
جوف الليل من منزل زكريا
حتي صارت خارج بيت المقدس
وذلك قوله تعالي فحملته فانتبذت
به مكانا قصيا يعني بعيدا واحبت
ان لا يعلم بها زكريا ولا غيره

Cum inſtaret illi tempus pariendi, egreſſa eſt media nocte ex ædibus Zachariæ, & extra Hieroſolymam proceſſit. & hic eſt locus ille remotus, quem

quam in Alcorano Deus memorat. Zachariam enim & cæteros latere volebat. Neque idem fictitiam Mohammedis palmam indictam patitur, quin fabulas fabellis cumulet : فنظرت في جوف الليل الي النخلة يابسة فجلست عند اصلها فاخضرت من ساعتها وصار لها سعفا وخوصا وتدلت بحملها بقدرة الله تعالي واجري الله من تحتها عينا من الما واشتد بها الطلق فضمت بيدها الي النخلة *Et videbat intempesta nocte palmam aridam, quæ, cum ad radicem ejus consedisset* Maria, *extemplo revirescens foliis & frondibus vestiebatur, fructu deorsum propendente, vi Dei supremi. Et produxit sub illa Deus fontem aquarum; & cum torquerent eam dolores partus, palmam manu arcte complexa est.* Nihil ergo de spelunca illa πολυθρυλλήτῳ Mohammed; sed sive alios auctores, sive traditiones ἀγράφους secutus, puerperium beatæ virginis fabuloso apud Poëtas Latonæ partui simillimum nobis exhibuit. Nam hæc quoque pal-

 mam

mam complexa, vel oleam, vel palmam & oleam simul, vel duas laurus (juxta alios) Dianam & Apollinem peperisse fertur. Et de palma quidem *Homerus hymno in Apoll.*

Τὴν τότε δὴ τόκος εἷλε, μενοίνησέν τε τεκέσθαι.
Ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισε
Λειμῶνι μαλακῷ· μείδησε δὲ γαῖ' ὑπένερθεν.
Illam tunc partus incessit, & parere enixa est:
Palmam vero brachiis amplexa genubus obnixa est
Prato molli; terra vero infra risit.

Et *Callimachus hymno in Delum:*

Λύσατο δὲ ζώνην, ἀπὸ δ' ἐκλίθη ἔμπαλιν ὤμοις
Φοίνικος ποτὶ πρέμνον, ἀμηχανίης ὑπὸ λυγρῆς
Τειρομένη. νότιος δὲ διὰ χροὸς ἔρρεεν ἱδρώς.
Solvit vero zonam, atque humeris retro se inclinavit
Ad palmæ truncum, diris torminibus.
Agitata: humidus vero per corpus fluebat sudor.

Sic enim Mariam quoque sævis doloribus pressam arcte palmam tenuisse vult Kessæus: scilicet, quia ἔθος ἐστὶ ταῖς κυούσαις τῶν παρακειμένων λαμβάνεσθαι, καὶ ἀποκουφίζειν ἑαυτὰς τῶν ἀλγηδόνων. *Mos est parturientibus adjacentia comprehendere & sese doloribus sublevare*, ut ait, Scholiastes Apollonii.

Pag. 9. *Cum advenissent pastores.* Vide, ut illi, qui neglecto verbo Dei ad aniles fabulas attendunt, cæcitate θεηλάτῳ percussi, deinceps non

non tantum diversa a scripturis, sed iisdem directe repugnantia effutiant. Sic noster iste, (nihil pensi habens

Τί πρότερον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξῃ.

Quæ quibus anteferat, quæ prima aut ultima dicat)

quæ ex inspiratione divina scripsit *Lucas* II. 8. *& seqq.* inverso hic ordine recenset. Prius enim venisse dicit pastores, ad locum scilicet, in quo erat Maria, & postea demum angelos iis apparuisse.

Pag. 9. *Succenso igne.* Sic & *Elias* III. Patriarcha Antiochenus Homilia in nativitatem Christi a Clarissimo Golio edita memorat

رعاة شبوا من شظايا العصي نارا

مضية *Pastores, accendentes ex assulis fragmentisve lignorum ignem lucentem.*

Ibid. *Admodum lætarentur.* An fortassis hoc inde arreptum, quod ἀγραυλοῦντες *excubantes*, citato Lucæ loco, jam olim nonnulli explicuerunt ἄγριον αὐλοῦντες *sylvestrem Musam tenui avena meditantes?*

Pag. 11. *Circumciderunt illum in spelunca.* Sic *Epiphanius* lib. I. hær. 20.

Pag. 13. *Pelliculam istam.* Ubi sunt illi, qui præputium Christi penes sese adservari superbe at-

atque improbe jactaverunt? Hic ſane, tanquam in ſpeculo, ſententiæ ſuæ, ſubleſtis plane teſtimoniis nixæ, futilitatem perſpicere potuiſſent. Sed, o boni, quis vobis illud per manus tradidit? quis primus id ſuſtulit? niſi forte auctori huic noſtro & ejuſdem generis aliis fidem habetis. Bene *Theophylactus* ad *Lucæ c.* 2. Ἀνόνητον δὲ καὶ τὸ ἐξετάζειν ποῦ ἐστι τὸ ἀποτμηθὲν ἐκεῖνο μόριον. ἃ γὰρ ἡ γραφὴ ἀπεσιώπησεν, οὐ δεῖ ἐξετάζειν. καὶ ταῦτα ἐπὶ μηδεμιᾷ ὠφελείᾳ *Inutile eſt inquirere ubinam terrarum ſit reſecta illa particula; nam in ea, quæ ſcriptura reticuit, inquirere non oportet: præſertim cum nulli id uſui ſit.* Tolerabiliores quidem ex veteribus illi, qui Chriſtum Servatorem noſtrum, ex mortuis ſuſcitatum, particulam iſtam rurſus adſumſiſſe, & in cœlos ſecum abſtuliſſe diſputant; ut integro eſſet corpore, ſicuti nos olim integris omnibus membris reſurgemus: ſed neque hoc opus eſt, & omnino præſtat in talibus ἐπέχειν.

Ibid. *Trecenti denarii.* Eos huc transfert Rhapſodus noſter ex *Johannis* cap. XII. 5. ubi de Maria pedes Chriſti ungente agitur. Nam interrogat ibi Judas Iſcariotes: Διατί τοῦτο τὸ μύρον οὐκ ἐπράθη τριακοσίων δηναρίων, καὶ ἐδόθη τοῖς πτωχοῖς; *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?*

Quod præſcriptum in lege Moſis. Luc. II. 23. Exod. XIII. 2

Pag.

Pag. 17. *Zoradascht.* (Zoroaster.) Zoroastrem magum non fuisse vetustiorem initiis amplitudinis Persicæ bene demonstravit Ill. *Marshamus* in Canone Chronolog. ad Sec. IX. (vide & *Bocharti* Phaleg. l. IV. c. I.) Loco ibi citato ex floridis *Apuleji*, qui ad Cambysis tempora illum refert, concinit omnino *Gregorius Abulfaragius*, qui & hunc nostrum egregie illustrat, p. 83. وفي هذا زمان كان زرادشت معلم المجوسية واصله من بلد اذربيجان وقيل من بلاد اثور وقيل انه من تلامذة ايليا النبي وهو عرف الفرس بظهور السيد المسيح وامرهم بحمل القرابين اليه واخبرهم ان في اخر الزمان بكرا تحبل بجنين من غير ان يمسها رجل وعند ولادته يظهر كوكب يضي بالنهار ويري في وسطه صورة صبية عذرا وانتم يا اولادي قبل كل الامم

الامم تدعون بظهوره فاذا شاهدتم
بالكوكب امضوا حيث يهديكم
واسجدوا لذلك المولود وقربوا له
قرابينكم وهو الكلمة المقيمة
السما *Porro hoc tempore* (Cambyſis nempe, filii Cyri, cujus immediate præceſſerat mentio) *fuit Zoradaſcht præceptor ſectæ magorum, oriundus regione Aderbigian, vel (ut dicitur) regione Aſſyriæ. Dicitur etiam, fuiſſe illum e diſcipulis Eliæ Prophetæ. Hic Perſas docuit de manifeſtatione Domini Chriſti, jubens eos illi dona offerre; indicavitque futurum, ut ultimis temporibus conciperet virgo fœtum, abſque contactu viri, cumque naſceretur, apparituram ſtellam, quæ interdiu luceret, & in cujus medio conſpiceretur figura puellæ virginis. Vos autem, o filii mei, ante omnes gentes ortum ejus percepturi eſtis: cum ergo videritis ſtellam, abeuntes, quo vos illa dirigat, natum iſtum adorate, offerentes ipſi munera veſtra; eſt ſiquidem ille verbum, quod cœlum condidit.* Apud eundem *Abulfaragium* pag. 110. Herodi de rebus ipſorum interroganti Magi ita reſpondent: ان عظيما
كان لنا وهو قد انبانا بكتاب
وضعه

وضعه ذاكرا فيه سيولد في فلسطين
مولود اصله من السما ويتعبد له
اكثر العالم وآية ظهوره انكم ترون
نجما غريبا وهو يهديكم الى حيث
هو فاذا رايتموه فاحملوا ذهبا ومرا
ولبانا وانطلقوا اليه والطفوه بها
واسجدوا له وانصرفوا ليلا يغالكم
بلا عظيم ۞ والان قد ظهر لنا النجم
واتينا لينتم ما امرنا به ۞ *Magni nominis quidam apud nos fuit, qui in libro quodam, quem composuit, nos admonuit, in eo hæc memorans:* Futurum eſt, ut in Palæſtina naſcatur puer è cœlo oriundus, cui ſerviet maxima mundi pars; ſignum autem apparitionis ejus hoc erit, quod viſuri eſtis ſtellam peregrinam, quæ vos eo, ubi manet, diriget: eam ergo cum videritis, accepto auro, myrrha & thure profecti illa ipſi offerte, ipſumque adorate, deinde revertimini, ne vos calamitas gravis occupet. *Nunc autem apparuit nobis ſtella; venimus igitur ad perficiendum illud, quod nobis præceptum eſt.* Quæ ex libello aliquo Zoroaſtri falſo adſcripto,

 qua-

qualium ψευδεπιγράφων σμῆνος olim circumferebatur, desumta esse, nemo non videt. Ejusdemque furfuris illa videntur, quæ ex Zoroastris ἱερᾷ συναγωγῇ τῶν Περσικῶν citat κατὰ λέξιν *Eusebius* in fine lib. 1. de præparat: Euangel. ὁ δὲ Θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος, *Deus caput habet accipitris* &c.

Pag. 21. *Eam in thesauris suis reposuerunt.* Pompatice quoque citatus supra *Elias Patriarcha*, eadem Homilia jactat قمطا دشرفت دبها الاعلام والبنود الملكية *Tanias, quibus nobilitata sunt signa & vexilla Regum.*

Ibid. *Herodes accersivit sacerdotes & sapientes.* Mira hominis oscitantia, qui ὕστερον πρότερον ea hic narrat, quæ ex capite 11. Matthæi longe melius

Vel pueri norunt, & qui nondum ære lavantur.

Non sat commode divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc.

Ibid. *Surge & abi in Ægyptum.* Causam profectionis in Ægyptum jejune admodum refert Kessæus Mohammedanus: فبلغ خبر الي الملك فهم بقتله وامه وزكريا فخاف زكريا والمومنون علي قتلهم وذكر

وذكر لها ذلك يوما ثم قال لابن
خالتها يوسف خذ مريم وابنها
واحملها الي مصر ودفع لهم اثاثا
وزودهم واخرجهم من بيت المقدس
ليلا *Pervenit autem rumor ad Regem* (hunc supra vocavit حنوش بن هندروس *Hannausch Ibn Henderusch*, quod corruptum censeo a Muslimis *Herodis* nomen) *qui ipsum cum matre & Zacharia morti destinavit. Cum ergo metueret Zacharias & fideles, ne occiderentur, monuit illam quodam die, dixitque Josepho sobrino ejus: Accipe Mariam & filium ejus, & deduc illam in Ægyptum. Deditque illis utensilia, & viatico instructos noctu ex urbe Hierosolyma eduxit.*

Sequuntur penes eundem auctorem fabulæ, aniles an pueriles? certe oppido ridiculæ, & quæ vel Heracliti pulmonem commoverent; quas, quoniam in pseudo-euangelio nostro non exstant, hic inserere lubet. Prima est de leone, Christi infantis mandato parente. وجعلوا يسيروا من بلد الي بلد فراي يوسف في الطريق اسدا

امدا عظيما واقفا علي فارع الطريق
ففزعوا منه فتكلم عيسي الي الاسد
وقال له ان الثور الذي تريد
تفترسه انه لقوم مساكين فانطلق
الي تلك الموضع تجد فيه جملا
ميتا فكله فمضي الاسد نحو الجمل
واكله *Cœperunt ergo proficisci ab urbe ad urbem. Et vidit Josephus in via leonem magnum stantem in bivio; a quo cum metuerent, allocutus est Jesus leonem, & dixit: Taurus quidem ille, quem dilaniare cupis, hominum est pauperum; sed abi ad locum τὸν δεῖνα, ubi camelum mortuum invenies: illum devora: Abiitque leo versus camelum, & illum devoravit.*

Altera de monstrato prædonibus thesauro.

فصاروا وانا بقوم مجتمعين فقال لهم
عيسي اتحبوا ان اخبركم عن
وقوفكم هاهنا قالوا نعم قال انكم
تريدوا تدخلوا دار الملك وتاخذوا
ماله

مالك وهو مومن تعالوا معي حتي
ادلكم علي كنز تجدونه قد مات
اهله عن دهور فصاروا حتي اتوا
الي خربة فقال لهم احفروا ههنا
فحفروا فوجدوا فيه مالا عظيما
فاقتسموه بينهم *Pervenerunt deinde ad congregatam hominum multitudinem; quibus Jesus, Vultisne, inquit, indicem vobis, qua de causa hic fletis? Annuentibus illis, Consilium vobis est, inquit, intrare palatium Regis, & bona ejus diripere; sed quia ille pius est, agite, me sequimini, ut monstrem vobis thesaurum, cujus possessor jam pridem diem suum obiit. Abierunt ergo, & pervenerunt ad foramen aliquod, & dixit illis Jesus, Fodite. cum ergo foderent, magnam pecuniæ vim in illo invenerunt, eamque inter se partiti sunt.*

Tertia disputationem Christi continet cum Rege infideli, & prædictionem de fœtu Reginæ gravidæ: وسار عيسي ومن معه حتي
دخلوا قرية عامرة فيها ملك وقد
اجتمع اهل القرية الي عنده وبين
ايديهم

ايديهم صنم وهم له يسجدون ويبكون فقال عيسي ما لكم ايها القوم فقالوا ان امراة الملك تطلق وقد تعسر عليها الولادة فقال عيسي اذهبوا الي الملك وقولوا له ان وضعت يدي علي بطن المراة تضع المولود عاجلا ما تضنع فمضوا اليه واخبروه بذلك فقال اتوني به فاقبل عيسي ودخل الي المراة وقال عيسي ايها الملك ان اخبرتك بما في بطنها قبل ان تضعه تومن بربي الذي خلقني من غير اب قال الملك نعم فقال عيسي ان في بطنها غلاما جميلا احدي اذنيه اطول من الاخري وعلي خده خال اسود وعلي ظهره شامة فمد يده علي بطن المراة وقال اخرج ايها الجنين

الجنين باذن الله تعالي الذي
خلق الخلق واوسع الرزق فوضعت
المراة غلاما علي ما وصفه عيسي
فهم المالك ان يومن بالله فقالوا له
وزراوه ايها المالك ان هولاي سحرة
فرجع عن الايمان فارسل الله
عليهم صاعقة فاهلكتهم عن اخرهم

Profecti porro Jesus, & qui cum ipso erant, devenerunt in urbem, in qua erat Rex, ad quem congregati cives erectum coram sese idolum flentes adorabant. Quos cum rogasset Jesus, quid ipsis accidisset? respondebant illi, uxorem Regis uterum ferre, & difficili partu laborare. Jesus autem inquit: Abite ad Regem, & nunciate ipsi, mulierem, si manum meam ventri ejus imposuero, celerrime enixuram. Quæ cum nunciata essent Regi, Rexque illum ad se introduci jussisset, accessit Jesus, intravitque ad mulierem, & dixit: O Rex, si, antequam pariat, dixero tibi, quid utero gestet, credesne in Dominum meum, qui me sine patre creavit? Annuente

Rege,

Rege, inquit Jesus: Equidem pariet ipsa puerum formosum, cujus alterutra auris altera erit longior; & in gena illius nævus niger conspicietur, & in dorso illius ejusdem coloris nota. Tunc extensa manu sua ad uterum mulieris, Egredere, inquit, o embryo, voluntate Dei supremi, qui omnia creavit, cunctisque alimenta large suppeditat. Cum ergo peperisset mulier puerum, qualem descripserat Jesus, velletque Rex in Deum credere, consiliarii ejus, magos illos esse, adseverabant, ita ut a fide suscipienda absterreretur. Igitur Deus horrendum cælitus fragorem in illos excitavit, qui ex improviso eos disperdidit.

Hæc in itinere Ægyptum versus accidisse refert Kessæus; plura vero noster, largiorem mendaciorum fontem aperiens, quasi ejusdem sese professionis comitem præbuisset. Ad quæ priusquam revertamur addamus ex eodem Kessæo appulsum in Ægyptum, & quo opificii genere vitam ibidem Josephus & Maria toleraverint,

ثم ساروا حتي دخلوا بلاد مصر
ونزلت مريم في دار رجل يقال له
دهقان ولم يكن لها شيا تعيش
به الا الغزل فكانت تغزل بالاجرة
ويوسف

ويوسف يحتطب ويبيع واقاموا كذلك مرة زمان *Deinde profecti sunt, donec intrarent regionem Ægypti, divertitque Maria in domum viri, qui vocabatur Dahcân: neque quidquam illi suppetebat, quo vitam toleraret, nisi nendi artificium. itaque mercede nebat; Josephus autem lignatum prodiens collecta ligna vendebat. & sic aliquanto tempore ibi morabantur.*

Pag. 25. *Appulit huc Deus ignotus.* Geminum est istud æque fictitio illi Apollinis oraculo, quod Augusto consulenti reddidisse fertur:

Ἑβραῖος κέλεταί με Θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ὁδὸν πάλιν αὖθις
ἱκέσθαι.

ἄπιθι λοιπὸν ἐκ δόμων ἡμετέρων. (Ita enim hoc dimetrum potius carmen cum Casaubono statuerim)

Hebræus jubet me Deus divis imperans
Ædem hanc derelinquere, & vestigia retro legere.
in posterum facesse ex ædibus nostris.

Pag. 27. *Idolum hoc corruit:* Hic quidem unius tantum idoli collapsi sit mentio; sed promiscue simulachra Deorum Ægyptiorum adventante Christo corruisse, plurimi patrum tradiderunt, & ex prophetis veteris testamenti adstrue-

re annisi sunt. Vide prolixe hac de re differentem Barradium Jesuitam *Histor. Euang.* Tom. I. l. x. c. 8. & citatos huic patres tum vetustiores, tum recentiores. Graphice præ cæteris *Epiphanius Demonst. Euang.* l. VI. c. 20. Οἱ πρὶν τὴν Αἴγυπτον οἰκοῦντες πονηροὶ καὶ μοχθηροὶ δαίμονες, ἐξ αἰῶνος μακροῦ τοῖς ξοάνοις ἐμφωλεύοντες, καὶ τὰς τῶν Αἰγυπτίων ψυχὰς πάσῃ δεισιδαιμονίας πλάνῃ καταδουλούμενοι, συναισθόμενοι ξένης τινός καὶ ἐνθέου δυνάμεως ἐπιδημούσης αὐτοῖς, αὐτίκα συνεκινοῦντο, σάλον καὶ κλόνον ἐν ἑαυτοῖς πάσχοντες, ἥτε καρδία αὐτῶν καὶ διανοητικὴ δύναμις ἡττᾶτο ἔνδον ἐν ἑαυτοῖς, ὑποχωροῦσα καὶ νικωμένη ὑπὸ τῆς ἀοράτως συνελαυνούσης, καὶ πυρὸς δίκην ἀῤῥήτῳ λόγῳ φλεγούσης αὐτοὺς δυνάμεως. *Illi, qui prius Ægyptum incolebant, mali & pravi dæmones, a longo tempore in simulachris stabulantes, & Ægyptiorum animas omni superstitionis errore subigentes, cum sentirent peregrinam aliquam & divinam vim inter sese versari, statim commovebantur, motum & concussionem internam patientes; & cor illorum & facultas cogitandi vincebatur in illis, cedens ac sese submittens potentiæ invisibiliter illos cogenti, & ignis instar ineffabili ratione urenti.* Vide sequentia ibidem. it. l. IX. c. 2.

Pag. 29. *Ex Ægypto vocavi.* Alieno rursus loco vaticinium hoc inseritur, quod ad D. Matthæi exemplum supra commodius allegasset.

Pag.

Pag. 33. *Pone nos veniet.* Quare hic mentitur Joſephus? An quia prope adhuc aberant a loco, in quo corruerat idolum, tempus nondum erat, arcana iſtius infantis obviis indicandi?

Pag 67. *Ecce! duos in via latrones.* Digitum in hanc fabulam intendunt *Spanhemius* pater, *Dub. Euang.* par. 2. *Dub.* LX. & *Gerh. Joh. Voſſius* in Harmonia Euangelica pag. 301. Qui vero hic *Titus* & *Dumachus* vocantur, in Euangelio Nicodemi p. 4. ſunt Dimas & Geſtas; in Collectaneis *Bedæ* vulgo adſcriptis Matha & Joca; in Hiſtoria Chriſti a Xaverio depravata p. 480.

زُسْتِين *Zjuſtîn*, & وِيسِمُس *Viſimus.*

Ita fabuloſi iſti ſcriptores omni opera & ſtudio id egiſſe videntur, ne ſibi fides haberetur; dum in diverſa abeuntes, manifeſtariæ ſuæ fraudis lectorem admonent. In hunc quoque cenſum referri queat ejusdem furfuris fabula, quam ex Vincentio Ferrerio & Jacobo de Voragine loco citato narrat *Voſſius*: Latronem ſcilicet in cruce pendentem, converſum eſſe, quod umbra Servatoris in ejus corpus incideret. qua de re ipſum vide Voſſium.

Pag. 69. *Avertat hoc a te Deus.* Expreſſum hoc ex Petri illo Matth. XVI. 22. ἵλεώς σοι κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο: *Propitius tibi eſto Domine, nequaquam erit tibi hoc.* Quod (fere ut noſter)

ſter) ſic vertit Arabs Erpenianus : حاشاى
يا رب ان يكون لك هذا ۞

Ibid. *Sycomorum, quæ Matarea vocatur.* Imò totus hodie pagus المطرية *Matarea* vocatur, a copia aquarum. vide *Gol. ad Alferg.* pag. 157. Celebratam hodiernis quoque Ægyptiis fabulam vide prolixe apud *Thevenotium* Itin. Orient. l. II. c. 8. ubi inter cætera narratur, ſycomorum iſtam, quæ adhuc hodie monſtratur, tranſeunte illac Maria cum Jeſu infante, & perſecutores fugiente, ſeſe aperuiſſe, at cum intraſſet Beata virgo, rurſus coiiſſe; digreſſis vero latronibus fiſſam rurſus ſemper ita apertam manſiſſe, uſque ad annum hujus ſeculi quinquageſimum ſextum. tunc enim fragmentum a trunco ſeparatum diſruptum eſſe. Vide & *Baron.* ad A. C. I. n. 46. De Perſea arbore Chriſtum adorante ſimilem fabellam vide apud *Sozom.* l. v. c. 20. & de illa judicium *Caſauboni* Exercitat. II. contra Baronium, num. XIV. item *Spanhemii* Patris Dub. Euang. part. II. dub. LX.

Pag. 71. *Balſamum provenit.* Famoſum illum balſami hortum nugator iſte plantat quidem & producit; ſed eundem irrigat & auctiorem reddit fabellis hiſce mirum in modum delectatus *Xaverius.* ſic enim ille p. 102. *Scriptum exſtat, cum iſtius terræ habitatores voluerunt eum hortum augere*

gere, atque in eo arbores balſami multas plantarunt, tamen arbores illas fructum non dediſſe, donec imaginati ſibi ſunt, ſi aquæ, in quibus Majeſtas Jeſu & involucra ejus abluta fuerunt, iſtas arbores attingerent, fructum darent. Itaque rivum aquarum iſtius horti deduxerunt in rivum, qui adſcendit ex fonte Chriſti, atque ex iſtis ambobus unus rivus factus eſt. ita factum, ut omnis terra, quæ iſtis aquis irrigata fuit, balſami fructum dederit.

Ibid. *Memphin.* Vox مصر *Misro* vel *Misron* tria ſignificat Arabibus, accurate quandoque diſtinguenda. Primo, ſi *Misron* legas, reſpondet vocabulo Hebraïco מצור, & *caſtellum* notat, ſeu quamvis urbem munitam. Hinc verba Alcorani cap. 11. 58. اهبطوا مصرا فان لكم ما سالتم (ubi per مصرا *Misran* Ægyptum intelligunt vetus Interpres & Clariſſimus Golius in verſione hujus capitis inedita) hoc modo exponit *Gialaloddînus*: اذرلوا مصرا من الامصار فان لكم فيه ما سألتم من النبات *Ingredimini urbem aliquam munitam, ubi præſto vobis erunt illa terræ*

 ger-

germina, quæ petitis. cucumeres fcilicet & lentes, allium & cepe, quæ in fuperioribus defideraverant. At fi مصر *Misro* legatur, ut fit nomen invariabile, refpondet Hebræo מצרים, *Mizrajim* ac totam Ægyptum notat. Hac notione plerumque occurrit, ut ftatim in textu noftro fequitur: وقفيوا في ارض مصر ثلث سنين *Subftiterunt in terra Ægypti triennium.* Deniqne ftrictiffime مصر *Misro* notat منف *Memphin*, antiquam illam Ægypti metropolin, cujus in locum pereuntis aliæ paulatim urbes fuccrevere.

Ibid. *Trienninm in Ægypto fubftiterunt.* Locum, ubi commorata fit Maria, non definit nofter, nifi vocem مصر *Misro*, contra ac modo explicuimus, notione tertia de metropoli Ægypti capias. Hanc fententiam fequitur Xaverius pag. 102. واختلاط ميكردند نزديك شهر منفس كه اكنون اورا مصر كهنه ميخوانند *Converfati funt prope urbem*

urbem Memphis, quam nunc Misram magnam vocant.

Ibid. *Plurima in Ægypto miracula.* Fictitiis hisce miraculis, tum iis, quæ hic silentii suppăro involvuntur, tum quæ in hoc libro memorantur, merito opponimus testimonium Johannis, qui miraculum aquæ in vinum mutatæ in Cana Galilææ, ἀρχὴν τῶν σημείων *principium signorum*, i. e. primum Christi miraculum fuisse asserit. Merito *Chrysostomus* Homiliis xx. & xxII. in Johannem rejicit illos, qui loco hoc non primum absolute Servatoris nostri miraculum volunt innui, sed respective ad Canam Galilææ. nec tamen subtilius hac de re disputaturum se cum quoquam profitetur. Sic & *Theophylactus* ad cap. II. Johannis, multa sibi dicit suppetere argumenta, quæ nullum antea miraculum a Christo patratum evincant; (dici enim, quod per istud gloriam suam manifestaverit, quodque discipuli ejus in ipsum crediderint) neque se tamen cuiquam hac in re valde adversaturum. Alia porro argumenta iidem auctores colligunt; nam & Judæos putant, si ante baptismum mira peregisset Jesus, citius eum fuisse crucifixuros, & infantilia illa miracula ludibrio futura, ac pro præstigiis & φαντασίαις fuisse habenda. Nobis hoc unum sufficiat, nullius divini neque fide digni scriptoris testimonio prætensa ista miracula posse probari. Satis vero in-

con-

constanter de puerilibus hisce Servatoris miraculis loquitur *Epiphanius*, & cum primo illa rejecisset, postea eadem adstruere conatur. Sic enim ille in hæresi Alogorum p. 442. Οὐ γὰρ ὅλως τι τῶν θεοσημείων καὶ τοῦ κηρύγματος περὶ τοῦ πειρασμοῦ ὁ χριστὸς εἰργάσατο, εἰ μή τι ἂν ἄδεται περὶ αὐτοῦ ἐν παιδὶ πεποιηκέναι, ὡς ἐν παιγνίῳ, ὥς τινες φάσκουσι. καὶ ἔδει τῷ μὲν ὄντι καὶ παιδαρικὰ αὐτὸν ἔχειν, ἵνα μὴ πρόφασις γένηται ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι, ταῖς λεγούσαις, ὅτι ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου ἦλθε χριστὸς εἰς αὐτὸν, ὅπερ ἐστὶν ἡ περιστερά. *Nullum enim omnino miraculum neque præconium Christus ante tentationem fecit, nisi forte ea, quæ puer adhuc, quasi ludens, patrasse celebratur, quemadmodum dicunt nonnulli. Et revera oportebat quædam etiam puerilia ipsum habere, ne prætextus suppeteret reliquis hæresibus, quæ dicunt, Christum in ipsum descendisse ad Jordanem, columbæ scilicet forma.* Verisimile est, plerosque, ut confictis hisce miraculis fidem haberent, inductos fuisse verbis Mariæ, dum Christo filio suo dicit *Joh.* II. 3. Οἶνον οὐκ ἔχουσι. *Vinum non habent*; Neque enim fieri potuisse credebant, ut tam magnifice de filio suo sentiret Maria, nisi aliis jam dudum miraculis virtutem suam divinam exseruisset. Lege Chrysostomum homilia xx. (juxta alios xxi.) in Johannem, ubi explosis hisce & confutatis infert ipse, nihil aliud tantam Mariæ de filio suo conciliasse opinionem,

quam

quam quod Johannis teſtimonio, & ex iis, quæ diſcipulis dixerat, manifeſtari jam cœpiſſet. Ipſam quoque ejus conceptionem, nativitatem, & quæ illo tempore evenerant, maximas illi de puero cogitationes ſubjeciſſe, quippe cum ex teſtimonio *Lucæ* 11.19. Ἡ Μαριὰμ πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. *Maria conſervaverit omnia verba iſta conferens in corde ſuo.* Eadem fere reperies apud *Theophylactum* ad Johannis caput 11.3. Vide & *Caſaubonum* Exercitat. II. contra *Baronium*, num. XIV. *Spanhemium* patrem dubiorum Euang. parte ſecunda dub. XCVI.

Antequam vero ex Ægypto diſcedamus, interſerenda hic fabella, quam narrat Keſſæus, hoc titulo: حديث الاعمي والمقعد *Hiſtoria de cæco & claudo.* قال وهب ابن منبه رضي الله عنه ومن عجايب عيسي ان الدهقان اللذي كانت مريم وعيسي في داره دخل اليها سارق واخذ جميع ما كان فيها واغتم لذلك وقال يا عيسي اخبرني من اخذ

اخذ مالي فقال عيسي الي
الدهقان اجمع لي سكان دارك
ففعل فقال عيسي اين فلان الاعمي
فاجابه فقال له هذان السارقان
لمالك فعجب القوم من ذلك فقال
عيسي للقوم استعان هذا المقعد
بقوة هذا الاعمي والاعمي ببصر هذا
المقعد وكان المقعد بيده حبل
في الكوة وكان يحمل شيا بعد
شي فيدهي اليه *Dixit* Waheb Ibn
Mamba, *cui propitius sit Deus: Hoc quoque est ex miraculis Jesu. Ædes Dahcâni, ad quem Maria & Jesus diverterant, ingressus est fur, & abstulit quidquid in illis erat. Tristis ergo Dahcânus inquit Jesu: Indica mihi, quis opes meas abstulerit. Respondet Jesus: Convoca mihi totam familiam tuam. Quod cum fecisset, inquit Jesus: Ubi est cœcus ὁ δεῖνα?* (supple *& claudus ille?* quod vitio librarii omissum) *His ergo adductis, inquit Jesus: Isti duo sunt fures, qui tua omnia abstulerunt. Hæc cum miraretur po-*

populus, inquit illis Jesus: Claudus iste adjutus fuit viribus cœci, & cœcus visu claudi. claudus enim manu sua funem tenebat in fenestra, dum singula (cœcus) *afferret, & ad ipsum rediret.* Similem fere de claudo & cœco fabellam ex libro *Kenzi al Asrar* refert *Pocokius* in notis miscellaneis ad Portam Mosis p. 280. & 281. ab ipso Deo hominibus die novissimo proponendam, quando corpus in animam, & anima in corpus culpam omnem peccati conferet. Desumta vero est ex Gemara Sanhedrin cap. XI.

Ibid. *Rediit ex Ægypto.* Sicuti admonitionem Angeli in Ægypto omittit noster, & contorte admodum cætera proponit; sic Kessæus quoque frigide admodum, & suæ de Zacharia litans hypothesi, reditum ex Ægypto his verbis enarrat:

فلم يزل عيسي وامه بارض مصر
حتي مات ملك بني اسرايل
فبعث زكريا الي مريم فامرها
بالرجوع الي بيت المقدس فصاروا الي
بيت المقدس وعيسي يريهم العجايب
حتي انهم نزلوا علي قرية يقال
لها ناصرة واليها تنسب النصارية

 فجعل

فجعل عيسى يدعوهم الي نبوته

Manseruntque Jesus & mater ejus in terra Ægypti, donec moreretur Rex filiorum Israël. Tunc misit Zacharias ad Mariam, illamque Hierosolymas reverti jussit; quo cum pervenissent, monstrabat illis Jesus miracula, donec in urbem Nazareth diverterent, a qua Nazareni (Christiani) *denominantur. cœpitque Jesus illos ad prophetiam suam vocare.*

Pag. 73. *Ingressi urbem Bethlehemum.* Cum modo Nazareth urbem, locum commorationis Josephi, Mariæ & Jesu, bene designasset, hic jam contra paginæ sacræ fidem Bethlehemum illos reducit, ibidemque in spelunca porro habitasse fingit, ut ex sequentibus patebit. plane quasi morem Josephus angelo non gessisset.

Pag. 79. *Filius rivalis.* ضرة *Dharra* Arabibus *mulierem* notat, *quæ cum alia communem habet maritum*; quam Latine æmulam, vel rivalem, vel potius pellicem dixeris. Eadem vox in Hebræa quoque lingua occurrit: hoc enim sensu Peninna צרה *hostis* sive *æmula* Hannæ vocatur 1. Sam. 1. 6.

Pag. 81. *Furnumque refriguisse.* Eadem ratione Moses, quem mater foras egressa in furno occultasset, sorore ejus, rei hujus ignara, succenso igne furnum calefaciente, miraculose ser-

vatus

vatus legitur apud *Kessaum*, quadragesimo die, antequam in arca exponeretur. Ut vero patescat qua ratione Judaïzantes Muslimi sacras tractent historias, quam densa fabularum caligine illas involvant, ipsa auctoris sæpius jam allegati verba producam. Narraverat in præcedentibus, Mosen statim a nativitate erectum consedisse, & matrem his verbis allocutum esse: يا اماه لا تخافي علي فان الله معنا *Mater mea, ne sollicita esto de me, etenim Deus nobiscum est.* Eadem nocte vocem auditam in palatio Pharaonis ولد موسي وهلك فرعون *Natus est Moses, & periit Pharao.* Omnia quoque Ægyptiorum idola eodem tempore in faciem prolapsa frustatim comminuta fuisse. Deinde ita pergit: فكانت امه اذا خرجت من منزلها في حاجة وضعته في التنور وطينت فاه لئلا يعلم حاله احد فخرجت يوما ووضعته في التنور وكانت اختها قد عجنت عجينا

عجيبا فاستجرت التنور ولم تعلم
ان موسي فيه واتفق ان هامان
وقع في قلبه ان المولود في دار
عمران فجا مع اعوانه واكبس
الدار وقال ان هذا مولودا فقالت
اخت موسي كيف يكون هنا مولود
وعمران محبوس عندكم منذ كذا
وكذا فشتمها ولم يسمع منها وفتشوا
اعلا الدار واسفلها وزواياها وخروقها
حتي وصل الي التنور فراه مسجورا
وان لمولود لا يكون فيه فلما رجعت ام
موسي فاذا هي بالاعوان والجواسيس
خارجين من بيتها فكادت روحها
ان تزهق من الخوف وقالت ان
ولدي

ولدي في التنور فاسرعت وراث
التنور مسجورا فلطمت وجهها وقالت
ما نفع الحذر مع القدر احرقتم
ولدي فناداها موسي من جوف
التنور يا اماه لا تخافي علي فان
الله منع النار عني فادخلي يدك
واخرجيني فان الله يصرف حرها
عنك كما اصرفها عني ففعلت
ذلك واخرجته فلم تمسها النار ۞

Mater vero ejus, quotieſcunque ob negotia domo egrediebatur, ipſum in furno, obturato orificio ejus, occulebat, ne quis de illo aliquid reſciſceret. Quodam ergo die foras proditura in furno eum deſtituit; ſoror vero ejus, quæ farinam depſuerat, ſuccenſo igne furnum calefecit, ignara Moſen in illo eſſe. Incidit tum Hamani ſuſpicio natam illam prolem eſſe in ædibus Imrânis; (Amrami) *aſſumtis ergo ſociis eo ſe confert, turbataque domo, ait: Hic natus eſt filius. At quo-*

quomodo hic natus sit filius , respondebat soror Mosis, cum Imrân tanto jam temporis intervallo apud vos detineatur? Sed increpuit eam, neque ipsi auscultavit; cumque & superiora domus & inferiora conclavia perlustrasset , omnesque ejus angulos & cellas perreptasset , tandem ad furnum devenit , eumque igne collucentem cernens puerum ibi non esse cognovit. Rediens vero mater Mosis, cum socios illos & exploratores ex ædibus suis exeuntes cerneret , pene exanimata est metu , dixitque : Filius meus est in furno. Deinde propere accedens furnumque igne collucentem conspicata , faciem suam percussit , dixitque : Nihil prodest circumspectio adversus fatum; etenim filium meum cremavistis. Tunc inclamavit eam Moses e medio furno : Mater mea , ne mihi timeas ; etenim Deus ignem a me arcuit : tu itaque admota manu eripe me flammis , quarum calorem sicuti a me Deus repulit , ita te quoque ab eodem defendet. Quod fecit mater , ita ut ignis eam non tangeret. Hamanem istum Pharaonis στρατηγὸν alibi commodius confiderabimus : hic obiter liceat addere, ex *Abu 'lkasimi* expositione nominum propriorum Alcorani, genealogiam Mosis , ejusdemque nominis ἔτυμον: موسي ابن عمران وهو
بالعبرانية عمرم ابن قاهث ابن
عازر

عازر ابن لاوي ابن يعقوب وسمي
موسي لان التابوت الذي كان فيه
حين التقطه ال فرعون وجد في
ما وشجر والمو هو الما والشا هو
الشجر بلغتهم *Moses filius Imrâni, qui Hebraïce Amram dicitur, filii Fâhith,* (corruptum hoc ex קהת Kahath) *filii Azir, filii Levi, filii Jacobi. Vocatus autem est Mûsa* (ita pronunciant Arabes) *quia cista, in qua repertus est, quando familia Pharaonis eum sustulit, inventa est in aqua & in arbore. Nam* MU *lingua ipsorum aquam.,* S A *vero arborem notat.* Familiare sane est Arabibus nomina propria, quæ in sacro textu occurrunt, mirum in modum fœdare, imo plane iis diversa substituere. Sic matrem Mosis, quæ יוכבד *Jochebed* in sacris literis vocatur, Keffæus vocat نخاجد *Nechâjid*; sed Abu 'lkâsimo ἐν δοιῇ μάλα θυμός.
ام موسي اسمها يواخا وقيل اذارخت
والله اعلم *Mater* (ait) *Mosis dicta fuit Jâwochâ vel juxta alios Atarchat. sed Deus optime novit.*

vit. Nomen Atarchat varie poſſet legi, quia deeſt in exemplari, quo utor, ſecundæ literæ punctum diacriticum.

Pag. 89. *Virtutem Dei in te habitare.* Ita ſemper ſpiritus vertiginis docuit τὰς Μαριολάτρας opera ſolius Dei virtute perficienda creaturæ adſcribere, & matrem filio exæquare. Sic infra p. 101. quæ a lepra mundata fuerat, ait: *Mundavit me Domina Maria, mater Jeſu Chriſti.* Hinc anſa data Judæis pariter & Mohammedanis Chriſtianos fœdiſſimæ idololatriæ accuſandi.

Pag. 111. *Judas Iſcharïotes.* Occaſio fabulæ ex Luc. XXII. 3. & Joh. XIII. 27. ubi Satanas in illum ingreſſus eſſe dicitur.

Ibid. *Ex luto formas fingebant.* Hoc quoque putidum & puerile commentum Alcorano ſuo inſeruit Mohammed, & ipſum Chriſtum hoc modo loquentem introducit cap. III. 43.

اني قد جئتكم باية من ربكم
اني اخلق لكم من الطين
كهيئة الطير فانفخ فيه فيكون
طيرا باذن الله *Aſſero ad vos*, (o filii Iſraël) *ſignum a Domino veſtro; creabo vobis ex luto quaſi figuram avis, & inſpirabo illi halitum,*

tum, ut evadat avis permiſſione Dei. Capite vero V. c. 109. & 110. ita Deus ipſe Chriſtum alloquitur: يا عيسي ابن مريم اذكر نعمتي عليك وعلي والدتك ان ايدتك بروح القدس تكلم الناس في المهد وكهلا وان علمتك الكتاب والحكمة والتورية والانجيل وان تخلق من الطين كهيئة الطير باذني فتنفخ فيها فتكون طيرا باذني *O Isa, fili Marjam, memento gratiæ meæ, in te & genitricem tuam* effuſæ, *quando corroboravi te per Spiritum Sanctum, cum in cunis, jacens &* poſtea *juvenis homines alloquereris: & quando docui te librum & ſapientiam, & legem & Euangelium; & quando creaſti ex luto quaſi figuram avis permiſſu meo, eamque afflaſti, ut volente me volucris evaderet.* &c. Hanc vero avem veſpertilionem fuiſſe volunt interpretes. Sic *Gialaloddînus* ad hunc locum:

فخلق لهم الخفاش لانه اكمل
الطير خلقا فيطير وهم ينظرون
فاذا غاب عن اعينهم سقط ميتا

Creavit vero illis vespertilionem, quia is natura avium est perfectissimus; & volabat ille, quando ipsum intuebantur, sed subductus oculis illorum mortuus concidebat. Vide & *Bocharti* Hierozoïcon, capite *de vespertilione.* Hinc olim Saracenus ad fidem Christianam transiens, antequam inter Catechumenos reciperetur, præter alia multa hæc quoque verba pronunciare tenebatur: Ἀναθεματίζω τὴν τοῦ Μωάμεδ φλυαρίαν, τὴν λέγουσαν ὅτι ὁ Κύριος καὶ θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀπὸ Μαρίας τῆς ἀδελφῆς τοῦ Μωσέως καὶ Ἀαρὼν ἐγεννήθη ἄνευ σπορᾶς ἐκ τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ πνεύματος· καὶ ἔτι νήπιος ὢν πετεινὰ ἐκ πηλοῦ ἐπλαστούργει. καὶ ἐμφυσῶν ἐποίει αὐτὰ ζῶα. &c. *Anathematizo Mohammedis futilitatem, qua dicit Dominum Deumque nostrum Jesum Christum, e Maria Mosis & Aaronis sorore absque semine natum esse,* (conceptum) *de verbo ac Spiritu Dei: & cum adhuc infans esset, volucres e luto finxisse, inflatuque suo animantes illas reddidisse.*

Pag. 113. *Veneficus est.* Ita in Alcorano loco modo citato cap. v. 110. subjicitur. فقال الذين

الذين كفروا منهم ان هذا الا

سحر مبين *Sed dicebant infideles ex illis: Non eſt hoc niſi faſcinum manifeſtum.* vel ut alii legunt teſte Gialaloddíno: ساحر مبين

Non eſt iſte niſi veneficus manifeſtus. Idem repetitur commate ſexto Capitis LXI. a Clariſſimo Golio editi: *Poſtquam ad eos veniſſet* (Chriſtus) *cum evidentibus ſignis*, (i.e. miraculis, creans volucres, reſuſcitans mortuos, mundans leproſos &c.) *dixerunt: Hoc faſcinum eſt manifeſtum.* Eandem cantilenam, & quidem lepido cum epiſodio, canit *Keſſaus*; poſtquam enim narraverat, Chriſtum, ut doctrinam ſuam coram infidelibus Judæis ſigno aliquo confirmaret, Semum Patriarcham e mortuis excitaſſe, ita pergit:

فقالوا القوم هذا سحر فاتينا باية

اخري قال وما تريدون قالوا اخبرنا

بما نذخر وبما ناكل في بيوتنا

فاخبرهم بذلك ولم يومنوا فانصرف

فلما كان من الغد اقبل اليهم

فقالوا قد جا الساحر فسمعهم
عيسي فشق عليه ذلك فقال اللهم
انك تعلم انهم نسبوني وامي الي
السحر فالعنهم لعنا كثيرا
فامسخهم الله خنازير فعاشوا ثلاثة
ايام ثم ماتو فانتشر ذلك في اليهود
فهموا بقتله فلم يقدروا علي ذلك

Tunc dicebat populus : Hæc magia eſt ; profer nobis aliud ſignum. Dicebat Jeſus : Quid ergo deſideratis ? Reſpondebant : Indica nobis, quid repoſituri ſimus, & quid comeſturi in ædibus noſtris. Quod cum indicaſſet ipſis, nec tamen crederent, abiit : poſtera vero luce cum ad ipſos rediret, dicebant : Ecce, magus ille adeſt. Hoc ergo audiens Jeſus & graviter ferens, O Deus, inquit, tu noſti, quod me & matrem meam veneficii arguerint ! itaque penitus illos exſecrare. Tunc mutavit eos Deus in porcos, & cum triduum ſupervixiſſent, mortui ſunt. Hoc cum per Judæam divulgaretur, voluerunt eum occidere, ſed non potuerunt. Nemo non videt expreſſa hæc eſſe ex *Joh.* capite VIII. ubi κατά-

ἐστι quidam Judæi Servatorem noſtrum δαιμόνιον ἔχειν *dæmonium habere* affirmant.

Pag. 115. *Officinam tinctoris.* Apud Perſas quoque παιδικὰ iſta Chriſti miracula percrebuiſſe, patet ex iis, quæ leguntur in *Angeli de la Broſſe* Lexico Perſico, ad vocem *Tinctoria ars*: *Refertur in apocrypho Perſarum libro* طفوليت حضرت مسيح de infantia Chriſti *quod Salvator tinctoriam artem exercuerit. Item quod unica tinctura pannos cujuslibet coloris exhiberet. Quapropter hunc tinctores Perſæ pro patrono venerantur; & tinctoriam domum* خانة مسيح officinam Chriſti *appellant.* Liber iſte Perſicus mihi hactenus non viſus; ex eo tamen, quod Salvator in eo tinctoriam artem exercuiſſe dicitur, conjicio illum Mohammedanis potius concinere, quam noſtro huic auctori. Audiamus *Keſſæum*, ut in promtu ſit cuilibet comparationem inſtituere: فوقع في قلب مريم ان تسلم عيسي الي معلم يعلمه صنعة يصطنعها فانطلقت به الي الصباغ فقالت له خذ هذا الغلام وعلمه شيا

شيا من صنعتك فاخذه منها وقال
له ما اسمك فقال اسمي عيسي
ابن مريم فقال له يا عيسي خذ
هذه الجرة واملا من هذا الدهر
واملا هذه النقاير كلها وخذ هذه
الصباغ وعد عليه عدة الاصباغ التي
يعملها في النقاير والوان الثياب
وتركه وانصرف الي منزله فعمد
عيسي الي النقاير فملاها ما وجعل
ذلك الاصباغ في نقيرة وعمد الي
الثياب كلها فالقاها فيه وانصرف
الي امه فلما كان من الغد جا
الصباغ فنظر الي ما فعل عيسي
فلطم وجهه وقال يا عيسي اهلكتني
وافسدت

وافسدت متاع الناس فقال له عيسي
ما عليك ولكن ما دينك قال
يهوديا فقال له عيسي قل لا اله
الا الله عيسي رسول الله وادخل
يديك في هذه الخابية واخرج كل
ثوب علي ما يريد صاحبه فآمن
الصباغ بالله وبعيسي وفعل ذلك
واخرج كل ثوب علي ما يريد
صاحبه وبقي علي ايمانه مع عيسي
عليه السلام وعلي نبينا محمد افضل
الصلاة وازكي السلام الي يوم الدين

Et ſubiit animum Mariæ tradere illum magiſtro, qui doceret ipſum artificium, quod exerceret. Itaque deduxit illum ad tinctorem, &, Accipe, inquit, hunc puerum, & illum doce aliquid de artificio tuo Accepit eum tinctor, & dixit ei: Quodnam eſt nomen tuum? Reſpondit ille: Nomen meum eſt Iſa Ibn Marjam. Dixit

illi: O Isa, cape hydriam, & postquam eam ex fluvio impleveris, imple etiam omnes hosce lacus, & accipe hac pigmenta. Porro enumeravit illi tincturas, quas in lacubus pararet, & colores, quibus vestes imbueret; & relicto illo in conclave suum discessit. Jesus ergo ad lacus accedens, aqua eos implevit, pigmentis vero in unum ex illis conjectis vestes omnes superinjecit, & ad matrem suam abiit. Postera vero die cum adesset tinctor, &, quæ fecerat Isa, videret, impacta illi alapa, O Isa, inquit, perdidisti me, & vestes hominum corrupisti. Dixit illi Isa: Nihil hoc te moveat; sed quænam est religio tua? Respondit: Judæus sum. Ait illi Isa: Dic, Lâ Ilâh illâ 'llâh, Isa resûlo 'llâh, (Non est Deus, nisi Deus; Isa est Legatus Dei) &, *inserta huic cortinæ manu tua, educ singulas vestes eo colore imbutas, qui possessoribus placet. Cum ergo tinctor crederet in Deum & Isam, & rem aggrederetur, singulas vestes ad lubitum possessorum tinctas eduxit; & permansit in fide cum Isa, super quo pax! & super prophetam nostrum Mohammedem præstantissima benedictio, & purissima pax, usque ad diem judicii!*

Pag. 119. *Jesus manum suam versus illud extendebat.* Anilia rursus commenta, & absurdissimæ fabulæ! Patres quidem nonnulli Servatorem nostrum in opere fabrili Josephum adjutasse referunt, & præ cæteris *Justinus Martyr* dial.

dial. cum Tryphone Judæo, p. 247. Ταῦτα γὰρ τὰ τεκτονικὰ ἔργα (legunt alii ὄργανα) εἰργάζετο ἐν ἀνθρώποις ὤν, ἄροτρα καὶ ζυγά. διὰ τούτων καὶ τὰ τῆς δικαιοσύνης σύμβολα διδάσκων, καὶ ἐνεργῆ βίον. *Hæc enim fabrilia opera* (vel *instrumenta*) *faciebat, cum inter homines versaretur, aratra & juga, etiam per hæc docens symbola justitiæ, & vitam minime otiosam.* Sic Basilius, Chrysostomus, alii; quos vide apud *Barradium* Jesuitam Histor. Euang. Tom. I. l. x. cap. 15. Sic Centuriatores Magdeburgenses Cent. I. l. I. c. 10. non verisimile putant adolescentiæ suæ annos Jesum in ignavo otio transegisse: sed probabile credunt ipsum, ut in omnibus singularem humilitatem præstaret, Josephum, qui erat architectus, diligenter in faciendis operis juvisse: ideoque dici *fabri filium* Matth. XIII. & *fabrum* Marc. VI. Hæc vero licet non sit ἀντίγραφα, incerta tamen sunt & ἄγραφα; & longe verisimilius ætatem priorem Christo in precibus & piis meditationibus, & præparatione ad augustum illud munus exactam, ut bene tradit *Spanhemius* Pater dub. Euang. parte II. Dub. 96. Videatur & Baronius ad A. C. XII. n. 7.

Pag. 125. *Pastorem vestrum.* Pessime & blaspheme ex Joh. cap. x. hæc translata, ut pastoritium ejus munus ad lusus pueriles & nefandas præstigias applicaretur.

Pag. 127. *Mense Adar.* Mensis hic Judæo-

 rum

rum duodecimus, ut notum, partim Februario noſtro, partim Martio reſpondet. Videtur autem diem aliquem ſolennem auctor innuere, quem tamen non definit. An feſtum *Purim*, i. e. *ſortium*, intellexerit, quod in hunc menſem incidit, affirmare non poſſum, neque tanti eſt in iſta inquirere.

Pag. 135. *Meus diſcipulus.* Libet hic obiter nomina duodecim diſcipulorum, eorumque vocationem ex ſententia Mohammedanorum inſerere; ut pateat homines iſtos, a ſpiritu mendacii edoctos, nunquam non ſcripturæ contradicere. Ita ergo illorum nomina recenſet Keſſæus:

سمعان. ولوقا. وبطرس. وتوما. ومتي.

ويوحنا. ويعقوب. ويونس. وجرجيس.

وحنا. وحنين. وبولص. *Simeon. Lucas. Petrus. Thomas. Matthæus. Johannes. Jacobus. Jonas. Georgius. Hannas. Honein. &* *Paulus.* Judam Iſcharioten, cujus ſupra noſter fecit mentionem, hic omittit, alioſque παρεισάκτους intrudit. Dicuntur autem Apoſtoli Mohammedi & aſſeclis ejus الحواريون *Al-Hawarijun*, à حور *candore*; cujus appellationis varias rationes vide in Compend. Hiſtor. *Werneri*

neri p. 35. & notis Golii ad Cap. LXI. Alcorani. quamvis Ampliſſimus *Ludolfus* ab eadem radice Æthiopica, notione *mittendi* derivare conetur, ut *Hawary* idem ſit quod *Apoſtolus*. Mohammedanorum plerique explicant per

قصارين *fullones*, aut *veſtium dealbatores*.

Vocationem illorum ita narrat Keſſæus:

بينما عيسي علي ساحل البحر

اذ هو بقوم قصارين فوقف عليهم

وقال لهم تقصروا هذه الثياب ولا تفعلوا

ذلك بقلوبكم فامنوا به وشهدوا

بنبوته *Cum verſaretur Jeſus in littore maris, vidit homines fullones, & conſiſtens juxta illos, dixit: Dealbatis veſtes iſtas, neque idem cordibus veſtris facitis? Ergo crediderunt in illum, & teſtes prophetiæ ejus fuerunt.* Sic vertiginoſi iſti mortales ubique cauſam ſuam produnt, veritati, omnium ſeculorum teſtimonio comprobatæ, tam aperte contradicentes.

Pag. 137. *Qui in tecto ludebant.* Fabellam hanc aliter rurſus narrat Keſſæus, hac rubrica:

حديث عيسي والقاضي *Hiſtoria de Je-*

su & Judice. Sic autem ille: وذشا عيسي

في احسن ذشية فيينما هو ذات
يوم يلعب مع الصبيان اذ وثب
منهم غلام علي غلام فركبه ثم
وكزة برجله فقتله فجاوا اهله
وتعلقوا بالصبيان وعيسي معهم
ورفعوهم الي القاضي وجات مريم
خايفة علي ولدها فقال القاضي
من قتل هذا الغلام قالوا قتله
عيسي فقال له القاضي لما قتلته
فقال له عيسي ايها القاضي اراك
حاكما جهولا كان وجب عليك
ان تقول هل قتلته ام لا فقال
القاضي اراك عاقلا فما اسمك قال
اسمي

اسمي عيسي ابن مريم فقال له
يا عيسي لما قتلته قال له عيسي
الم انهك في الاولي عن هذا اللفظ
ثم دني عيسي من الميت وقال له
قم باذن الله فاستوي قايما فقال له
من قتلك قال فلان وهذا عيسي بري
من ذنبي ثم مات فقتلوا الغلام فيه

Et adolescebat Jesus optime; & cum die quodam luderet cum pueris, insiliit puerorum quidam in alterum, & in ipso equitavit, eumque pede trusum interfecit. Advolabant itaque parentes ejus, & pueris instabant, (& Jesus erat cum illis) eosque ad judicem ducebant. Aderat quoque Maria, filio suo metuens. Interrogabat autem judex: Quis interfecit hunc puerum? Respondebant: Jesus illum interfecit. Tum judex: Quare interfecisti illum? Inquit Jesus: O judex, video te stultum esse judicem; deceret enim te prius rogare, utrum illum interfecerim, annon? Cui judex: Video te sapientem esse; sed quodnam tibi est nomen? Jesus, ait ille, vocor, filius Mariæ. Iterum judex: Quare interfecisti

ſti illum, o Jeſu? Reſpondebat Jeſus: Nonne jam prius te monui, ne ita loquereris? Deinde ad mortuum accedens Jeſus, dicebat illi: Surge permiſſu Dei. cumque in pedes ſurrexiſſet, interrogabat illum: Quis te interfecit? Reſpondebat ille: O δεῖνα *me interfecit; iſte autem Jeſus nihil in me criminis admiſit. Tunc concidit mortuus; & pro illo puerum interfecerunt.*

Pag. 143. *Zacchæus.* In Gemara Sanhedrin præceptor Jeſu vocatur יהושוע בן פרחיה *Joſua filius Perachia*; ſi tamen hic Jeſus idem eſt cum Servatore noſtro, quod recutiti quidam doctores diffitentur. Aliter rurſus in *Tholedoth Jeſchu* p. 5. ויגדל הנער ושכרה לו אמו רבי ושמו אלחנן וילמד את הנער והיה לו לב טוב להבין *Succreſcente puero mater ei magiſtrum conducit* Elchananem *nomine, qui doceret puerum. erat vero illi ingenium bonum ad res intelligendas.*

Pag. 145. *Præcepit ut Aleph diceret.* Antiquiſſimæ ſunt iſtæ nugæ, & jam apud Irenæum leguntur libro 1. adverſus hæreſes cap. 17. Πρὸς δὲ τούτοις ἀμύθητον πλῆθος ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, ἃς αὐτοὶ ἔπλασαν, παρεισφέρουσιν εἰς κατάπληξιν τῶν ἀνοήτων καὶ τὰ τῆς ἀληθείας μὴ ἐπισταμένων γράμματα. Προσπαραλαμβάνουσι δὲ εἰς τοῦτο κἀκεῖνο τὸ ῥᾳδιούργημα, ὡς τοῦ Κυρίου τὰ διὰ τοῦ διδασκάλου αὐτῷ φήσαντος, καθὼς ἔθος ἐστὶν,

Εἰπὲ

Εἰπὲ ἄλφα, ἀποκρίνασθαι τὸ ἄλφα. Πάλιν τε τὸ βῆτα τοῦ διδασκάλου κελεύσαντος εἰπεῖν, ἀποκρίνασθαι τὸν κύριον, Σύ μοι πρότερον εἰπὲ, τί ἐστι τὸ ἄλφα, καὶ τότε σοι ἐρῶ τί ἐστι τὸ βῆτα. καὶ τοῦτο ἐξηγοῦνται, ὡς αὐτοῦ μόνου τὸ ἄγνωστον ἐπισταμένου, ὃ ἐφανέρωσεν ἐν τῷ τύπῳ τοῦ ἄλφα. *Praterea vero ineffabilem multitudinem apocryphorum & spuriorum ſcriptorum, quæ ipſi finxerunt, obtrudunt ad obſtupefaciendum rudiores, & veritatis literas ignorantes. Hunc in finem illam quoque ſolertiam adſumunt, quod Dominus, cum præceptor pro more ipſi dixiſſet, Dic Alpha, reſponderit Alpha. Rurſus cum Beta pronunciare juſſiſſet præceptor, reſpondiſſe, Tu mihi prius dicito, quid ſit Alpha, & tunc tibi dicam, quid ſit beta. Atque hoc ita explicant, quaſi ipſe ſolus ignota noverit, quod in typo literæ Alpha manifeſtaverit* Lepide vero hanc fabulam interpolavit Keſſæus, quaſi Arabice Chriſtus locutus ſingularum literarum vim, imo ipſa frivola Mohammedis inſomnia magiſtro ſuo explicuiſſet. Ubi in antegreſſum notandum eſt, Arabes juvandæ memoriæ cauſa Alphabetum per vocabula quædam ficta (idque juxta Alphabeti Hebraïci ordinem) diſtribuere. (qua de re vide Grammaticam Erpenii, & Pocokii orationem de linga Arabica) ſcil. ابجد *Ebgiad*, هوز *Howaz*,

سعفص *Saaphas*, قرشت *Karſchat*; ثخذ *Thechadh* ضظغ *Dhadhag*. Connectuntur vero iſta immediate cum iis, quæ de Jeſu & judice ſuperius allata. ثم ان مريم اخذت عيسي وانطلقت به الي منزلها وقالت له يا ولدي انطلق الي المعلم فلعل تتعلم منه شيا فقال لها ان ربي غناني عن تعليم المعلمين وقد علمني التوراة والانجيل واذا في بطنك قالت صدقت غير انك تكون عنه معلم خير لك فانطلقت به الي المعلم فقالت له علم ابني مما علمك الله تعالي فقال المعلم اقبل يا غلام فقال له عيسي ايها المعلم

المعلم انك لجاهل لا ينبغي لك
ان تعلم لك غلام ان لا تعرف
اسمه قبل ان تعلمه لتدعوه باسمه
فقال له ما اسمك قال اسمي
عيسي ابن مريم قال له يا عيسي
قل بسم الله الرحمان الرحيم قال
له ما هذا يا معلم قال له قل
كما يقال لك فقال بسم الله
الرحمان الرحيم قال له المعلم قل
ابجد فقال وما ابجد فغضب المعلم
فقال له عيسي لا تغضب فقال
وكيف لا اغضب وانت سالتني عن
ما لا علم لي به فقال يا معلم قل
حتي تتعلم لان الانسان خلق ولا
علم

علم له قال صدقت وما اجهل ايها المعلم

قم من موضعك حتي نقعد فيه واعلك

Deinde Maria adſumſit Jeſum, & cum illo domum abiit, dixitque ei: Mi fili, Abi ad præceptorem, ut aliquid ab illo diſcas. Reſpondit ille: Atqui Deus providit, ut præceptorum doctrina non indigeam; ſiquidem docuit me Legem & Euangelium, cum adhuc in utero tuo eſſem. Et illa, Credo, ait; attamen melius tibi erit aliquid ab illo didiciſſe. Et deduxit illum ad præceptorem, & dixit illi: Doce filium meum aliquid de iis, quæ te docuit Deus ſupremus. Dixit ergo præceptor: Accede, o puer. Cui Jeſus, O præceptor, ait, video te ſtultum eſſe; non te decet, quando puer aliquis tibi erudiendus traditur, nomen ejus ignorare antequam illum docendum ſuſcipias, ut ſuo eum nomine compellare queas. Dixit illi: Quodnam eſt nomen tuum? Dixit: Nomen meum eſt Jeſus filius Mariæ. Dixit illi: O Jeſu, dic Biſmi 'llâhi 'rrahmâni 'rrahîm. IN NOMINE DEI MISERATORIS MISERICORDIS. *Et dixit illi: Quid hoc eſt, præceptor? Dixit illi: Dic, prout tibi dicitur. Et dixit:* Bismi 'llâh &c. *Et dixit illi præceptor. Dic* EBGIAD. *Et dixit: Quid vero eſt* EBGIAD? *Tunc iratus eſt præceptor, & dixit, illi Jeſus: Noli iraſci.*

Et

Et dixit: *Quomodo non irascar, cum ea mero-ges, quæ prorsus ignoro? Et dixit: O præceptor, dic, priusquam didicerim; nam homo sine scien-tia est creatus. Dixit: Credo, sed quid est* EB-GIAD? (*Respondit Jesus*) *O præceptor, surge ex cathedra tua, ut nos in illa sedeamus; nam ego te docebo.* Sequitur ipsa singularum literarum explanatio, quam, ut nimiam vitemus prolixita-tem, Latine tantum adscribemus. *Quod cum fecisset præceptor, dixit Jesus: Quod spectat τὸ* EBGIAD, ELIF *est* Lâ ilâh illa 'llâh. *Non est Deus, nisi Deus.* BE *est* Behâo 'llâh *Pulchritudo Dei.* GIIM *est* Gialâlo 'llâh *Ma-jestas Dei.* DAL *est* Dîno 'llah, *Judicium Dei.* (vel *Religio Dei.*) *Dixit præceptor: Be-ne dixisti, o Jesu, sed quid est* HOWAZ? *Respondit*: HE *est* Huwa 'llah *Ipse est Deus.* WAW *est* Weil lilmocadhdhibîn *Væ illis, qui prophetas mendacii arguunt.* ZE, Zebâ-nia giahennam *Satellites gehennæ. Dixit præce-ptor*: *Credo; sed quid est* HOTAI? *Re-spondit:* HA *est* Hatto 'lchatâja 'ani 'lmodh-nibîn, *Ablatio criminum a peccatoribus.* TA *est Arbor in paradiso, quæ* TUBA *dicitur.* JE *est* Jedo 'llâh 'alâ chalkihi, *Manus Dei super creaturas suas. Dixit præceptor: Credo, sed quid est* KOLMAN? *Respondit:* KEF *est* Kelâmo 'llâh, *Verbum Dei.* LAM *est* Licâ, *Mutuus occursus filium in paradiso.* MIM

est Molco 'llâh, *Regnum Dei.* NUN *est* Nisâ, *Uxores fidelium in paradiso. Dixit præceptor: Credo, sed quid est* SAAFAS? *Respondit*: SIN *est* Sirro 'llâh, *Arcanum Dei.* 'AIIN *est* 'Ilmo 'llâh, *Scientia Dei.* FE *est* Efâloho 'lgiamîla, *Opera ejus pulchra.* SAD *est* Sâdik, *Verax in dictis & factis suis. Dixit præceptor: Credo, sed quid est* KARSCHAT? *Respondit:* KAF *est* Kadrato 'llâh, *Potentia Dei*, (Omissa hic est, culpa librarii, in exemplari, quo utor, explicatio literæ ر RE, quæ facile suppleri potest per voces رسول الله Resûlo 'llah *Legatus Dei*) SCHIN *est* Meschîya allâh, *Voluntas Dei.* TE *est* Teâlâ, *supremus* (scil. Deus). *Dixit præceptor: Credo, sed quid est* THECHADH? *Respondit:* THE *est* Thobûta, *Constantia.* CHA *est* Châlik, *Creator omnium rerum.* DHAL *est* Dhû 'lbetschi 'lschedîd, *Qui graviter affligit. Dixit præceptor: Credo, sed quid est* DHADHAGH? *Respondit*: DHAD *est* Dhyâwoho, *Lumen ejus.* DHA *est* Dhohûro 'lemr, *Prævalentia mandati* (divini) *super omnia.* GAIIN *denique est* Gâlib émroho, *Vincit mandatum ejus omnia. Dixit præceptor: Credo, & bene dixisti. & prehensa manu ejus ad matrem Mariam illum abduxit, dixitque ei: Ac-*

Accipe filium tuum, qui me docuit ea, quæ ignorabam: quippe qui omnium mortalium est ſapientiſſimus. Ut autem videat lector pleraque horum ex Alcorano deſumta eſſe, pauca tantum hic delibabimus, & unde decerpta ſint innuemus. *Zebânia giahennam*, Satellites gehennæ, ſunt dæmones, ſive juxta alios angeli, quos advocaturum ſe die noviſſimo minatur Deus infidelibus, ſi auxilium ipſi a ſodalibus ſuis petant. Cap. Alc. xcvi. c. 17. 18. *Hatto 'lchatâjâ*, Ablatio criminum a peccatoribus, occurrit Capite II. c. 54. ubi præcipitur Iſraelitis, ut urbis (Hieroſolymam nonnulli, alii Hierichuntem intelligunt) portam intrantes dicant حطة HITTA; (id eſt, explicante *Gialaloddîno*) حط عنا الخطايا *Aufer a nobis peccata noſtra*) additurque illos aliter, quam præceptum fuerat, dixiſſe. (nempe حنطة HINTAH i. e. חטה *triticum*; uti ſemper a ſpiritualibus ad res mundanas declinabant.) *Tuba* arbor Paradiſi notiſſima eſt ex Pocokio & Hottingero. نسا اهل الجنة *Uxores fidelium in paradiſo*, ſunt illæ decantatiſſimæ in Alcorano حور عين *Hur'în*,

'in, i.e. ἑλικώπιδες, βοώπιδες, *nigris & prægrandibus oculis prædita* puellæ, quas utique virgines fore ſuis promittit, Cap. LV. c. 74.

لم يطمثهن انس قبلهم ولا جان

Neque enim dæmonum quiſquam vel hominum illas prius ſubagitavit. Has a *Sergio* ſive *Bohira* præceptore ſuo accepit Mohammed, ſicuti tradit auctor actorum Sergii: MOH. *Hæc quando illis expoſuero, ſi dicant mihi, Edemus, & bibemus, nec uxores ducemus? quid reſpondebo illis?* BOH. *Hoc ſane diffile eſt: æquum tamen eſt, ut pro viribus & capacitate ingenii illorum ipſis indulgeas. quemadmodum infans primum lac ſugit, deinde puer factus leni cibo veſcitur, & paulatim adoleſcens vir perfectus evadit. Bene ergo, o Mohammed, dic illis, fore in paradiſo puellas formoſas, eaſque viris nupturas.* Cætera ubique in Alcorano ſunt obvia.

Pag. 147. *Ante Noachum.* Sic apud *Lucianum* Cupido dicitur τοῦ Ἰαπετοῦ πρεσβύτερος *Japeto antiquior.* in dial. Jovis & Cupidinis.

Pag 151. *Meſſias cujus eſt filius?* Verſutiam hominis, imo ſacrilegam audaciam! Quæ Phariſæis proponit Chriſtus *Matth.* XXII. 41. & *ſeqq.* peſſime huc transfert veterator.

Ibid. *Libros & Legem.* Licet modo generalius

ralius *libros* dixerit, hic tamen per الكتب Alcutob *libros*, הכתובים τὰ ἁγιόγραφα vulgo dicta intelligenda videntur, quia Lex & Prophetæ seorsim memorantur. Quot vero libri sacri ex sententia Mohammedanorum cœlitus sint demissi, ex Jacob Ben Sidi Aali tradit *Gabriel Sionita*, libello de Urbibus &c. Orientalium, cap. XIV. & ex eo *Hottingerus* Hist. Orient. l. II. cap. 4. Nempe CIV. quorum X. demissos esse ad Adamum: L ad Sethum: XXX ad Enochum: X ad Abrahamum: I. (Legem) ad Mosen: I. (Psalmos) ad Davidem: I. (Euangelium) ad Isam (*Jesum*:) I. (Alcoranum) ad Mohammedem. Verum ut pateat lectori, in nullo fere dogmate Muslimos convenire, neque hoc universaliter esse receptum, adscribam hic, quæ ex traditione ابن عباس *Ibn Abbâs* referuntur: جملة الكتب المنزلة علي الانبيا عليهم السلام ماية كتاب واربعة عشر كتابا فمنها علي ادم عشرون صحيفة والصحيفة هي كتاب وعلي شيث خمسين صحيفة

صحيفة وعلي خنوخ ادريس ثلاثون
صحيفة وعلي ابرهيم الخليل عشر
صحايف وعلي موسي التوراة وعلي
داود الزبور وعلي عيسي الانجيل
وعلي نبينا محمد صلي الله عليه
وسلم الفرقان ومن المفسرين من
يقول ان الكتب المنزلة مايه كتاب
واربعة وعشرون كتابا ويزيدن فيها
عشر صحايف انزلها الله علي
نبيه موسي قبل التوراة ويحتج
بما جا في سورة الاعلا ان
هذا لفي الصحف الاولي صحف
ابرهيم وموسي *Summa librorum ad Prophetas cœlitus demiſſorum* CXIV. *ex quibus* XX. *volumina* (*id eſt libri*) *demiſſi ſunt ad Adamum;*

mum; *ad Sethum* L; *ad Henochum* (*i.e. Idrisum*) XXX; *ad Ibrahimum* AL-CHALIL X; *ad Mosen Lex*; *ad Davidem Psalmi*; *ad Isam Euangelium*; *& ad Prophetam nostrum Mohammedem*, *cui clemens & propitius sit Deus*, *Al-Forkânus*. *Nonnulli tamen interpretes* CXXIV *volumina dicunt fuisse*, *& decem addunt*, *quæ ad Mosen prophetam suum Deus prius*, *quam Legem* התורה, *demiserit*. *Probant hoc ex eo*, *quod dicitur in Surata Al-Aala*: (cap. LXXXVII. c. 18. 19.) *Hæc sane* ſcripta exſtant *in voluminibus antiquis*, *voluminibus Ibrahimi & Mosis*. Abrahamum Arabibus AL-CHALIL vocari, & plenius خليل الله CHALIL ALLAH *amicum Dei*, ſicuti in epiſtola Jacobi II. 23. φίλος Θεοῦ dicitur, obſervavit in Lexico ſuo Golius. Obſerva igitur in Itinerario Benjaminis אברהם אלכליל, quod Celeberrimus *L'Empereur* vertit *Abrahamum perfectum*, reddendum fuiſſe *Abrahamum Amicum*, niſi vocem ipſam Arabicam, quam Hebræam ille putavit, retinere maluiſſet. Cæterum ut in omnibus fere, ita quoque in inveſtigando nominis Abrahami etymo nugantur Arabes. Sic *Abu'lcaſimus*:

كثيرا ما يقع الاتفاق بين السريانى

السرياني والعربي الا ترى ان ابرهيم عليه السلام تفسيره اب راحم لرحمته بالاطفال ولذلك جعل هو وزوجته سارة كافلين لاطفال المومنين الذين يموتون صغارا الى يوم القيامة *Sapenumero concinunt lingua Syriaca & Arabica: annon vides* Ibrahîm, *ſuper quo pax! notare* Ab râhim *patrem miſericordem, ob miſericordiam vel tenerum affectum in infantes? Et propterea conſtitutus eſt ipſe cum Sara uxore, qui curam gerat infantium fidelium, qui parvuli moriuntur, uſque ad diem reſurrectionis.*

Pag. 153. *Quis, putas, puer iſte erit?* Hoc Luc. 1.66. de Johanne Baptiſta dicitur.

Pag. 157. *In domo patris mei.* Luc. 11.49. Sed ibi legitur ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου. *in iis, quæ ſunt patris mei.* Noſter hic concinit Syro interpreti, qui ita hæc vertit: ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܗܘܝܬܘܢ ܕܒܒܝܬ ܐܒܝ ܘܠܐ ܠܝ ܠܡܗܘܐ *An ignorabatis in domo patris mei oportere me eſſe?* & Perſæ, qui totidem fere vocibus ita hæc exprimit: نمي

نمي دانيد كه مرا مي برازد كه در خانه پدر باشم *Nescitis convenire mihi, ut in domo patris verser?* Vide Grotium ad hunc locum apposite demonstrantem eandem esse phrasin ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς, & ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρὸς; ita quoque hunc locum παραφράζει Theophylactus: Οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ ἀληθής μου πατὴρ, ἢ γὰρ ἂν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ ἤμην. ἀλλ' ὁ Θεός ἐστί μου πατήρ. καὶ διὰ τοῦτο ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ εἰμι. τουτέστιν ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ. *Non est ille* (Josephus) *verus meus pater; sic enim in domo ejus essem: sed Deus est pater meus, & in domo ejus sum. hoc est, in templo ejus.*

Pag. 159. *Ab hoc die miracula &c. occulere cœpit.* Certe captus est. habet. manifestariæ fraudis tenemus hominem. Urit illum conscientia, & divinitatem agnoscit oraculi illius, quod fundit Johannes Euangelista cap. 11. 11. *ἀρχὴν τῶν σημείων principium signorum* fecisse Jesum in Cana Galilææ; ibi gloriam eum suam manifestasse, ita ut discipuli ejus in ipsum crederent. Sed, scilicet! male instituta ratio exitum reperire nequit. Quasi vero ab adolescente patrata miracula minus auctoritatis habitura fuissent, aut majori scandalo esse potuissent Judæis, quam infantilia illa & puerilia, a male feriatis & cerritis hominibus conficta. Imo contra legimus

 Luc.

Luc. II. 52. προκόψαι Ἰησοῦν *profecisse Jesum* sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Hujus vero subitariæ mutationis, sufflaminatæque in Christo divinæ virtutis, neque vola neque vestigium in sacris literis apparet.

SPHALMA, quod superius pag. 4. festinatione calami irrepsit, me admonet, ut, quod alias latius me exsecuturum promiseram, hic saltem breviter attingam & delibem. Omnino delendæ ibi duæ voculæ linea 10. & 11. (*crucifixum aut:*) negat enim in Alcorano suo Mohammed Christum Servatorem nostrum cruci esse affixum, & hac ratione peccata nostra tulisse. Capite IV. c. 156. in Judæos invectus ita fatur:

ما قتلوه وما صلبوه ولكن شبه لهم

Non interfecerunt eum, neque cruci affixerunt, sed visum hoc *illis fuit.* & paucis interjectis:

ما قتلوه يقينا بل رفعه الله اليه

Non revera illum interfecerunt, sed Deus ipsum ad se sustulit. Voces لهم شبه *Visum fuit illis*, (ex quibus umbram Christi exsculpit auctor anonymus Hist. Moh., qui exstat in Saracenicis Sylburgii, pag. 61. Ἐδίδαξεν αὐτοὺς τὴν σκιὰν ἐσταυρῶσθαι τοῦ Σωτῆρος ὁμολογεῖν. *Docuit illos profiteri umbram Servatoris crucifixam esse.* Vide quoque in iisdem Saracenicis *Euthymium Zygabenum* pag. 5.) hoc modo breviter & dilucide

cide جلال الدين *Gialaloddînus:* Vir ille, quem occiderunt & in crucem ſuſtulerunt, qui erat صاحبهم *ſodalis ipſorum*, viſus eſt illis eſſe Jeſus, quoniam ejus formam Deus ipſi induerat. Qua ratione hoc factum velint Muſlimi, exponit *Hottingerus* Hiſt. Eccleſ. Tom. VII. pag. 415. & ſeqq. ipſa nugatorum *Keſſæi* & *Abulnazari* verba referens. *Gialaloddînus* & *Abulnazarus* in eo conſentiunt, ſatellitem miſſum a Rege Iſraelitarum, ut Chriſtum interficeret, indutum forma ejus ſupplicium pro illo luiſſe: at *Keſſæus* & *Zamachſcharius* (cujus verba vide in compend. *Werneri* pag. 32) eum, qui interfectus eſt, ex ſociis vel diſcipulis Chriſti fuiſſe volunt. Hæc vero, ut erudite obſervavit *Forbeſius* Inſtitutionum Hiſtor. Theolog. l. IV. c. 7. deſumta ſunt ex illis, quæ Baſilidem hæreticum ſomniaſſe olim narrant *Irenæus* adverſus hæreſes l. I. c. 23. & *Epiphanius* in Panario l. I. Tomo II. hæreſi 24. nempe: Simonem Cyrenæum, qui angariatus crucem Chriſti portavit, loco ejus crucifixum fuiſſe; Jeſum enim *μεταμεμορφωκέναι* *transfiguraſſe* Simonem in ſpeciem ſuam, ipſumque viciſſim Simonis formam induiſſe. Sic jam Simon Magus, teſte *Epiphanio* libro I. adverſus hæreſes, Tom. II. hær. 21. nugatus erat ſe filium eſſe, (Dei ſcilicet) *παθόντα δὲ μὴ πεπονθέναι, ἀλλὰ δοκήσει μόνον.*

νον. neque revera, ſed tantum ſpecie tenus paſ-ſum. Videmus hinc κακῶν κοϱάκων κακὸν ὠὸν fuiſſe Mohammedem, & vere Simonis & Baſilidis αἱϱεσιάϱχων diſcipulum. Sed, ὦ ἀγαθοί! quam facile contra vos obtinebimus τὸ ἔϱωτα ἡμέτεϱον ἐσταυϱῶσθαι, *Amorem noſtrum crucifixum eſſe*, cum ſanctiſſima iſta veritas divinis pariter atque humanis teſtimonis comprobetur? Teſtantur enim Judæi, qui Servatorem noſtrum toties התלוי *ſuſpenſum* i. e. crucifixum vocant; teſtantur gentiles; teſtantur denique omni exceptione majores Euangeliſtæ & Apoſtoli, qui ἅγιοι Θεοῦ ἄνθϱωποι ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φεϱόμενοι ἐλάλησαν. *ſancti Dei homines locuti ſunt agitati a Spiritu Sancto.* Minime ergo opus eſt cum *Euthymio Zygabeno*, ad ſanguinem Chriſti a Chriſtianis adſervatum confugere, eoque blaphemias Mohammedanorum velle confutare. Apage nænias.

Cæterum diverſam plane a paulo ante memorata Chriſti crucifigendi metamorphoſin aliis placuiſſe Mohammedanis, teſtatur Golius, cujus ipſa verba ex ſcholiis ineditis ad caput 111. Alcorani, quia non ingrata lecturis fore confido, hic appono: Sic ergo ille ad commatis 48. verba ſequentia: ان قال الله يا عيسى اني متوفيك ورافعك الي *Quando dixit Deus: O Jeſu, ego*

ego te ex vita hujus statione evocabo, & ad me attollam: Mohammed Africanus *ait se didicisse ex suis Theologis, Christi animam fuisse exemtam è corpore, sublatamque in cœlos; descendisse autem Angelum in ejus corpus, atque ita crucifixum fuisse. (Hoc videtur inde ortum, quod Angelus eum consolatus dicitur* Luc. XXII. 43. *quod nonnulli apocryphum habuere, quia illi eo non fuit opus.) Atque inde verum esse, quod Coranus dicit, Christum non fuisse mortuum, quia potior pars hominis anima: erat autem illa Christi anima verbum & spiritus Dei. Vide annon ex hæreticis antiquis fuerit quis in hac sententia, nam eam a Christianis videtur hausisse: & ipsa interpretum varia & coacta commentatio in hunc locum satis indicat, aliud quid subesse, quod ipsi ignorant. qualia multa sunt alia: An Simonem Cyrenæum sumserint pro eo, qui portavit crucem?* &c. *Annon hoc a Judæis quibusdam, quia voluerunt hinc excusare Christi resurrectionem, quasi loco Christi alius prehensus esset & crucifixus; ipse autem post apparens occasionem dederit Christianorum fidei?* Hactenus Golius. Nos merito hic repetimus verba, quæ olim Saracenis conversis, jamque inter catechumenos recipiendis, præiri solebant: Ἀναθεματίζω τὴν τοῦ Μωάμεδ φλυαρίαν &c. ὅτι οὔτε ἐσταυρώθη, οὔτε κατ' ἀλήθειαν ἀπέθανεν ὡς ἄνθρωπος. ἀλλὰ κατὰ φαντασίαν μόνην ταῦτα παρὰ τῶν Ἑβραίων ὑπέστη. *A-*

nathematizo futilem Mohammedis assertionem &c. quod neque crucifixus, neque revera ut homo mortuus fuerit, sed hac omnia in speciem tantum ab Hebrais perpessus.

Atque hoc quidem clarius est, quam solis radii, quando sudum est, esse solent, Mohammedem ignominiosam in cruce Christi mortem prorsus negare, atque hac in parte Muslimos ductoris sui vestigia sequi; sed num quid, omnino sine mortis interventu vivum sublatum fuisse Jesum, dicemus fuisse Mohammedis sententiam? Sane non videtur, non saltem quando Alcoranum consarcinavit; & merito omnes Sunnitas & interpretes, a prima magistri sui mente discessisse notamus: tam disertis enim verbis mortem ejus Mohammed innuit, ut mira sit illorum hominum audacia. Primo Capite XIX. c. 34. loco supra citato ipse Christus introducitur futuram suam mortem & resuscitationem prædicens: quod qua ratione Muslimi explicent, statim videbimus; sed Mohammedem id putamus sano & scripturis conveniente sensu accepisse primum & tradidisse. quippe cum superius ejusdem Capitis commate 15. eandem totidem verbis cantilenam de Johanne Baptista cecinerit. سلام عليه

يوم ولد ويوم يموت ويوم يبعث حيا

Pax super eum quo die natus est, quo die morietur,

tur., & *quo die in vitam resuscitabitur.* Unde bene *Gialaloddînus* ad comma 34. وقال فيه ما تقدم في السيد يحيى *Idem de eo dicitur*, *quod dictum fuerat de Domino Jahja*, id est, Johanne. Quis non eodem hæc sensu dici fateatur? Deinde Cap. III. 48. Deus ipse Christum ita alloquitur: يا عيسى اني متوفيك ورافعك الي *O Jesu*, *ego te ex statione hujus vitæ evocabo*, (vel potius *mori faciam*) & *ad me attollam.* Nam sexcentis ex ipso Corano exemplis posset demonstrari, vocem توفي semper *animæ à corpore discessum*, & sic ordinariam mortem significare. Atque hoc agnoscentes *Mohammed Africanus* (supra verbis Golii citatus) & *al-Zamachscharius*, (cujus verba habes apud Hottingerum loco citato p. 414.) ille quidem nugacissimum de Angelo succidaneo figmentum comminiscitur, hic vero ad futuram Christi ante diem novissimum mortem (de qua quid statuant Muslimi statim explanabimus) confugere cogitur. Sed ita manifesta vis textui infertur, quia illam رفع

 subla-

ſublationem Chriſti de priori in cœlos adſcenſu conſtanter cæteri explicant. Patet ergo nequaquam Mohammedem in Alcorano negare Chriſti mortem, ſed eam potius allegatis locis innuere. Hinc quiſquis auctor fuit actorum Sergii Monachi (quem بحيرا *Bohiram* vocant Arabes) famoſi illius Mohammedis præceptoris, hoc modo eum introducit doctrinam de morte Chriſti diſcipulo ſuo inculcantem: وان اليهود الذين كانوا في بيت المقدس صلبوه علي يد رجل كان والي عليهم من قبل ملك اليونانيين فقال له محمد من هم اليونانيين قال له بحيرا هم الروم وجعلوه في قبر وقام بعد ثلاثة ايام وصعد الي السما

BOH. *Judæi vero, qui Hieroſolymis erant, crucifixerunt illum per præfectum ſuum, vices Javanæorum* (Græcorum) *Regis gerentem.* MOH. *Quinam ſunt iſti Javanæi?* BOH. *Romani. Et collocaverunt eum in ſepulchro; ſed tertio* *die*

die surrexit, & in cœlum adscendit.

Exponendum jam est, quomodo ergo verba illa Christi, (ex Alcorani Cap. XIX.) quibus mortem suam & resurrectionem innuit, concilient interpretes Mohammedani cum falsissima sua hypothesi, Christum nequaquam esse mortuum, imo in Alcorano doceri, cum sine mortis interventu in cœlos sublatum. Nempe illa referunt ad futurum ejus in terras reditum, quem loco gloriosi ejus adventus ad judicandum vivos & mortuos pessima interpolatione suis persuadere conantur. Scribunt enim impudentissimi mortalium, circa finem seculi certantibus inter se

الدجال *Antichristo* ejusque adversario المهدي

Almahdy Christum denique, a Gabriele Angelo ex cœlo secundo in terras deductum, Antichristum occisurum, uxorem Arabicam ducturum, devictisque *Jagog* & *Magog* quadraginta annos in terris moraturum esse. Hæc postquam prolixe & inficete admodum narravit Kessæus, secuturam tunc Christi mortem insulsius

subjicit his verbis: فيامر الله ملك الموت

ان ينزل عليه ويصير معه حتي

يوقعه علي قبر النبي صلي الله عليه

وسلم

وسلم ثم ينازله ملك الموت مشمومة
فيقول له خذ هذه الشمة يا روح
الله فشمها فاذها من مسك الجنة
فياخذها من يده فيشمها عيسى
عليه السلام فياخذ روحه فيها صلى
الله عليه وسلم فيبعث الله ملايكة
من السما فيغسلونه ويكفنونه
ويصلون عليه ويدفنونه الى جانب
قبر سيدنا ونبينا محمد *Tunc præci-
piet Deus Angelo mortis, ut descendat ad illum, ipsumque deducat ad sepulchrum Prophetæ. (cui propitius sit Deus & pacem præstet!) Et porriget illi Angelus mortis suaveolens aliquid, dicetque ei: Cape hoc odoratum, o Spiritus Dei, est enim de musco paradisi. Hoc quando accipiet Jesus & olfaciet, auferet in eo Angelus mortis animam ejus: mittetque Deus de cœlo Angelos, qui lotum eum ferali veste ornabunt, dictisque super ipso precibus, sepelient
ad*

ad latus ſepulchri Domini & Prophetæ noſtri Mohammedis.

Sic moriturum ajunt Chriſtum, & ad latus ſepulchri Mohammedis ab Angelis ſepeliendum; reſurrecturum vero die noviſſimo cum reliquis Prophetis & Apoſtolis. Exſtat prolixa traditio *Ibn Abbâſi*, quam ille acceptam refert *Ibn Amâræ Ibn Zeidi*, qua tota futuræ Prophetarum reſurrectionis ſeries exponitur. Fore ſcilicet, ut præco coram ſolio Dei exclamet: Ubi eſt Adam

صفوة الله ابو البشر *Electus Dei, Pater generis humani*, quem manu ſua Deus creavit, ipſique ſpiritum ſuum inflavit? Tunc ſurrecturum Adamum & dicturum: لبيك لبيك

Adſum, adſum, o præco Dei! ecce ego ſum Adam; creavit me Deus manu ſua, & ſpiritum mihi ſuum inflavit: adoraverunt me Angeli, & collocavit me Deus in paradiſo, ſed ex eodem propter peccatum meum juſte me expulit *&c.* Tunc dicetur illi: Surge & prælege liberis tuis ea, quæ Deus cœlitus ad te demiſit. Surget itaque & lectis voluminibus ad ſe demiſſis adorabit Deum, & omnes creaturæ cum ipſo. Eadem ratione Sethum tradit, Enochum, cæterosque ſupra pag. 73. & 75. memoratos, ipſum quoque Servatorem noſtrum, reſurrecturos, le-

ctis-

ctisque libris suis Deum adoraturos. Ultimo omnium Mohammedem lecto toto Alcorano primum paradisum ingressurum, Gabriele dextrum ejus latus, Michaele sinistrum tegentibus, præcedentibus Angelis, & Prophetis ordine sequentibus.

Sed ohe! fabularum jam satis est, lector, ne *Crispini scrinia lippi*, imo cœcorum & plane brutorum hominum rhapsodias, ulterius compilemus. Unica tamen superest, quam in opprobrium Musulmannicæ gentis reticere nequeo. Quam turpiter & olim & nostro hoc seculo sese dederunt infruniti quidam mortales, qui dogma de SS. Trinitate & æterna Servatoris nostri divinitate ab improbissimis hæreticis derivare voluerunt; tam turpiter, imo turpius longe se dant Mohammedani, sanctissimam istam & θεσπέσιον doctrinam a Diabolo, patre omnis mendacii, arcessentes. Ipsa quidem refutatione non eget, sed ut sua se prodat absurditate, ipsis *Kessai* verbis proponatur: vos vero

Auditum admissi risum teneatis amici.

ويقال ان عيسي عليه السلام لما
رفعه الله الي السما كان له
تلاميذة اربعة وهم مرقس وهو
اكبرهم

اكبرهم وبوحنا وهو بعده وهوذس
وهو اوسطهم سنا وثوما اصغرهم سنا
وكان كل واحد منهم قد بني
لنفسه صومعة وكان بين صومعة
هذا وصومعة هذا ميلا وهم يتعبدوا
تعبدا شديدا وكانوا لا ينزلون
الي احد ولا يراهم احد فجا ابليس
عليه اللعنة الي مرقس ودخل عليه
ومعه سراج في يده فلما نظره
مرقس ارتاع وقال له من انت قال
انا رسول المسيح عيسي اليك والي
اصحابك وهو يقول لكم ويلكم انتم
تعلمون اني ابري الاكمه والابرص
واكلم الناس في المهد وكهلا

واحيي

واحيي الموتي واصنع من الطين
كهية الطير فيكون طايرا ومن
يفعل ذلك كان الاها فكيف
تمسوني الي العبودية فلما سمع
ذلك منه نزل من صومعته
ومضي الي يوحنا واخبره بجميع
ذلك الذي قاله ابليس فقال
له يوحنا هل رايت فيه شيا من
اثار الخير قال نعم كان
كان في يديه شيا يزهر كان
السراج فقاموا جميعا الي صومعة
هونس واوردوا عليه ما كان من
حديث ابليس عليه اللعنة فقال
هونس قد كانت نفسي تحدثني
بذلك

بذلك غير اني كنت الذاهب
فقالوا قوموا بنا الي عند اخينا
الاخر توما نحدثه فقاموا واتوا الي
صومعته وحدثوه فقال توما ان
عيسي ابن مريم ليس له ابا
ولكن قولوا عيسي ومريم والله
ثالث ثلاثة فكذبوا وزادوا هذه
الاقاويل في الانجيل ونقصوا منه
ما خلفوه ثم ضلوا واضلوا
وخرجوا يدعون الناس الي ذلك

Dicitur, habuisse Jesum, quando sustulit eum Deus in cœlum, quatuor discipulos; quorum natu maximus erat Marcus. *huic proximus* Johannes. Hunas *ætate medius. &* Thomas *natu minimus. Struxerant vero sibi quatuor ædiculas millenis passibus a se invicem distantes, ubi sacro cultui continenter vacarent. neque quemquam adibant, nemoque illos videbat. Tunc venit Iblîs* (Diabolus) *maledictus ad* Marcum, *& lucernam manu tenens cellam ejus ingressus est.*

Quo viso Marcus *pertimuit*, *& dixit*: *Quis tu es? Respondit*: *Ego sum legatus Christi Jesu. ad te & ad socios tuos*; *ille vero* οἰμώζειν ὑμῖν λέγει: *nostis me sanasse cæcum & leprosum*; *in cunis jacentem*, *& postea juvenem cum hominibus esse locutum*; *mortuos in vitam revocasse*; *& ex luto fecisse volucrum formas*, *quæ aves evaderent. hæc autem qui fecerit*, *Deus est. quomodo ergo cultum mei negligitis? Hæc cum audivisset*, *relicto claustro suo ad* Johannem *abiit*, *eique totum Iblîsi sermonem exposuit. Cui* Johannes: *Vidistine ullum in eo boni vestigium? Imo*, *ait* Marcus; *manu enim aliquid gestabat lucernæ instar resplendens. Surgentes itaque ambo ad claustrum* Hunæ *perrexerunt*, *eidemque*, *quidquid dixerat Iblîs maledictus*, *narraverunt. Respondit* Hunas: *Suggerebat hoc mihi anima mea*, *& tantum non ad vos tendebam. At illi*, *Surge*, *ajunt*, *nobiscum*, *ad alterum fratrem nostrum* Thomam, *ut illi quoque rem narremus. Surgebant itaque*, *& ædiculam ejus ingressi eadem ipsi narrabant. Quibus* Thomas: *Equidem Jesus est filius Mariæ*, *neque patrem habet*; *sed dicite Jesum & Mariam & Deum tres esse* Deos. *Sic mentiti sunt*, *& hasce opiniones in Euangelio auxerunt*, *quæque immutata volebant*, *ex eo sustulerunt. Erraverunt igitur ipsi*, *& alios seduxerunt*, *atque ad illam* doctrinam *homines invitarunt.* Verisimile est primum

mum putidæ hujus fabulæ auctorem de quatuor Euangeliſtis aliquid inaudiviſſe, eoſque indigitare voluiſſe. Vide aliam Judæorum ex Gemara Sanhedrin de quinque Chriſti diſcipulis מתאי נקאי נצר ובוני ותודה *Mathai*, *Nekai*, *Netzer*, *Buni* & *Thoda* apud *Vorſtium* in Obſervationibus ad Tzemach David pag. 259. ejuſque originem pag. 261.

Patet ex iis, quas recenſuimus, tum Mohammedanorum, tum Pſeudo-Chriſtianorum fabellis, ſublata vel neglecta Euangelii luce meras ſuboriri in hominum mentibus tenebras, & craſſiſſimam ignorantiam ſuccedere; quique relicto limpidiſſimo S. Scripturæ fonte alias ſibi foderunt ciſternas, eos traditos eſſe εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ut divina ab humanis, vera a falſis, ſana ab affectis diſcernere nequeant. Miſereat ergo nos horum cœcitatis, & miremur imperveſtigabilia Dei judicia, eumque ſupplices rogemus, ne lucem Euangelii, lucernam pedum noſtrorum, a nobis tollat. Diſcamus ſobrie philoſophari, neque ἀνεξιχνίαστα μυστήρια rationis noſtræ modulo metiri velimus; ſtultasque & indoctas quæſtiones declinemus, ſcientes illas pugnas gignere. Diſcamus ſobrie & non niſi cum ſcriptura ἀλληγορεῖν, ne eliminatis & exploſis veterum fabulis nova introducatur mythologia, ſcandalum infirmis, offendiculum & obex externis, hoſtibus denique Euangelii πρόφασις & μυκτηρίζειν.

F I N I S.

Corrigenda & Addenda.

IN TEXTU.

PAg. 93. lin. 1. lege *Hos.* & ibid. l. 5. *illi* (Nam masculinum genus in Arabico est; & ipse Princeps dramati interesse intelligendus: at pagina sequenti seorsim mulieres cum muliere loqui incipiunt.) Pag. 95. lin. 11. lege *Dominam.* Pag. 144. lin. 4. supple & lege الالف الم.

IN NOTIS.

Pag. 4. lin. 10. & 11. dele voces *crucifixum aut.* (rationem videbis pag. 78. & seqq.) Pag. 8. lin. 3. lege *Josephus.* Pag. 39. lin. 2. adde: *Barradius* mansisse illam putat inter Heliopolin & Babylonem. vide hunc tom. 1. Histor. Euang. l. x. cap. 9. & *Ludovicum de Dieu* ad Historiam Christi Xaverianam p. 587. 588. Diversas porro de duratione hujus commorationis sententias vide apud eosdem auctores locis citatis; & allegatos reperies, qui nostro pollicem premant. Pag. 75. lin. 13. post vocem *Mosis* adde: Confer quæ Panarii lib. 1. tom. 111. habet *Epiphanius* de Sethianis. Ibid. lin. penult. lege *Arabes.* Pag. 80. lin. 17. lege *blasphemias.*

